


DRPS  
FA  
1404



UNIVERSITAT D'ALACANT  
Biblioteca Universitaria



0500770557



Ex Libris



Russell Perry Sebold III

FL DRPS FA/1404

0500770552

SELECTA  
PATRUM  
SECRETARII  
ORATIONES



VENETIIS  
MDCCLXXII

ADOLESCENTIBUS  
SELECTÆ  
PATRUM  
SOCIETATIS JESU  
ORATIONES.



VENETIIS  
EXCUBEAT JO: BAPTISTA ALERITIUS HIER. F.  
M D C C L I.  
SUPERIORUM PERMISSU.

*In magnis quoque Authoribus incidunt  
aliqua vitiosa, & a doctis inter  
ipsos etiam mutuo reprebensa; atque  
utinam tam bona imitantes dicerent  
melius, quam mala pejus dicunt.*

M. F. Quintil. lib. 10. de  
Instit. Orat. cap. 2.

<sup>v</sup>  
ADOLESCENTIBUS


I N

GYMNASIIS PRÆSERTIM

SOCIETATIS JESU

ELOQUENTIÆ STUDIO SIS

JO: BAPTISTA ALBERTIUS HIER. FIL.

 *Um Selecta Patrum SOCIE-  
TATIS JESU Carmina, que  
paucis ab hinc mensibus nostris e ty-  
pis prodire, & perhumaniter a vo-  
bis excepta, & avidius lectitata*

animadvertentem; opera pretium me facturum putavi, si aliquot etiam Selectas Patrum Societatis ejusdem Orationes vobis deinceps exhiberem; ne scilicet adstrictæ numeris delibato specimine, solutæ Orationis quoque eisdem e fontibus petiturum specimen desideraretur. Auctorum hic tamen, argumentorumve, ut in illo Carminum delectu, varietatem ne querite: Ipsa Orationum natura, quæ haud ita angustis circumscribi limitibus potest, vetuit, quominus plures, vel Orationes quam octo, vel Oratores quam quatuor decerperem, licet utrorumque magna suppeteret copia. Præterquamquod, ne libellus hic alter priorem illum excederet mole, omnino mihi proposueram. Cur autem, cum non pauci emineant pariter, ut Juven-

cus, Ferrerius, Decolonia, alique, quos legere est seorsum excusos, cur, inquam, ceteris hos prætulerim, ea potissimum ratio fuit, quod ii mihi rem tumultuario properanti præsto magis fuere. Nolim tamen iccirco sibi quisquam suadeat, nullam prorsus rationem argumentorum habitam esse: illud imprimis curavi, quantum festinatio tulit, ea ut seligerem maxime, quæ vobis delectationi fore, & utilitati visa sunt, quod ipsa poterit lectio comprobare. De Orationibus vero, ac de ipsarum Authoribus sigillatim verba facere non est necesse; Horum enim nomina pervulgata jam, & postremis hisce temporibus celebrata satis innotuerunt: illarum autem & ordinem, & ornamenta quod spectat, vobis attentius evolventibus planum fiet. Hoc etiam

ergo manusculum excipite comiter, Le-  
ctissimi Adolescentes, & quemad-  
modum consilii mei fuit, cum Poesi  
eloquentiam vobis proponere, ita ve-  
stræ solertiæ sit, utriusque facultatis  
laudem, quod jam pridem facitis,  
conjungere.

## INDICULUS

## ORATIONUM.

- G**ABRIELIS COSSARTII Adversus  
novitatem Doctrinæ. Pag. 1  
Ejusdem Orationis Extemporalis  
Defensio. 29  
**JOANNIS** COMMIRII De arte paran-  
dæ Famæ. 56  
**CAROLI** POREE Sereniss. Princ. Ludo-  
vici Franciæ Delphini Lau-  
datio Funeris. 77  
Regi Christianissimo Ludovico XV.  
Regni moderamen capeffenti  
Gratulatio. 102  
**HIERONYMI** LAGOMARSINI Pro Pu-  
blicis Scholis I. 125  
Pro Publicis Scholis II. 147  
Pro Grammaticis Italiæ Scholis. 171



## NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

**A** Vendo veduto per la Fede di Revisione ed Approvazione del P. F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitor Generale del Santo Ufficio di Venezia, nel Libro intitolato: *Selectæ Patrum Soc. Jesu. Orationes*, non vi essere cosa alcuna contro la santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi e buoni costumi: concedemo Licenza a *Giambattista Albrizzi q. Girolamo* Stampatore di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli Ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 19. Giugno 1750.

( *Alvise Mocenigo* 2.<sup>o</sup> Rif. *Pro Publicis*  
 ( *Zuane Querini* Proc. Ref. *Pro Publicis*  
 ( *Pro Grammaticis* *Pro Publicis*  
 Registrato in Lib. a Carte 27 al N. 177

*Michael Angelo Marino Segr.*

Adi 9. Luglio 1750.

Registrato nel Magistrato Eccell. degli Esecutori contro la Bellemmia.

*Alvise Legrenzi Segr.*

## ERRATA

## CORRIGE.

Pag.	lin.		
4	32	potuisset	posuisset
	34	lufosque	lufusque
6	22	quam	quem
8	8	fabricans	fabricatus
10	30	ne quid	ne qui
	32	nexus, gratia	nexus, & gratia
11	21	pupulo,	populos
12	11	utriusque	utrisque
15	13	confact, sique	confictasque
18	25	videntur	viderentur
21	25	larva	larvam
24	23	nov	novam
27	6	exempla,	exemplo,
28	15	pateretur	petereur
	23	causar-mur	causarentur
	25	convicerentur	convincerentur
32	16	sedionis	seditionis
34	21	Et	En
37	26	ego	ergo
38	13	inimicis	ab inimicis
44	24	nomine	ronne
47	17	diligendis	deligendis
49	9	An	At
	14	asperantur, ne qua	aspernantur, ne qua
		possunt	possint
50	1	ips	iphi
52	25	quodam ex fonte	quodam ex fonte
53	17	gloria	gloriam
59	27	in forma	in forma
63	29	confectione dignis	conceptione digni
64	6	ut	aut
	29	pladigatoribus	pladigitoribus

Pag.	lin.		
68	7	quo	quod
70	12	spendescat	splendescat
	27	e	fe
73	28	hoc arte	hac arte
	32	præstringunt	perstringunt
74	22	augeretur	auguretur
77	17	perituri	de perituri
88	5	testatus es	testatus est
	7	imitatus est	imitatus es
	24	Principem	Principe
97	10	nam	non
101	6	additissimam	additissimam
103	24	erit	erat
110	25	foli	folii
135	34	commendatur	commendetur
138	6	annos	anno
141	34	Magistris	Magistri
144	25	discilina	disciplina
156	8	patrefamias	patrefamilias
157	16	celeritate	celeritatem
174	24	Emmanuele	Emmanuelem
181	30	interpretatione	interpretationem
187	6	esset	essent

## LECTORI TYPOGRAPHUS.

*Quod in utraque præsertim Oratione Cossartii paulo frequentius editio isthæc nostra peccarit, ne mihi, queso, Lector, succenseas; sed mendoso potius Mediolan. apographo, quo, dum, me extra Italiam commorante, rem celerius deproperant, Præli Administri usi sunt.*



ADVERSUS  
NOVITATEM DOCTRINÆ  
ORATIO

HABITA PARISIIS VI. NON. OCTOBR. MDCL.

A GABRIELE COSSARTIO.

**V**ETUS est illa, & a magistris politicæ doctrinæ summo consensu posita lex, Viri Illustrissimi; ut quidquid est affine novitati, summoveatur civitatis aditu, longeque a populi moribus & studiis areatur. Sic enim sibi persuadent homines sapientissimi: cum imperium omne vetustate, tanquam altis radicibus, nixum fundatumque sit; vetustate tanquam plena jam & adulta luce, splendescat: nihil esse, quo certius vel decus extinguere republicæ, vel firmamenta convelli, quam novitate possint. Quamobrem pellendam esse republica pronunciant velut hostem; neque tantum cum insurgit, & minatur palam, summamque rerum aggreditur; sed etiam cum ludos exiguis in rebus innoxios ludit, cum blanditur, cum favet, exitiosam habendam esse, & ex toto fugien-

fugiendam; ut pestilentiae non tantum graviores auras, plenioresque afflatus, sed etiam anhelitus levissimos, suspicionemque ipsam periculi declinamus. Omnino id sunt in rep. novitates, quod in oceano venti, qui cum aspirent blandius primum, fluctusque mulceant prope ad delicias, mox in tempestates & naufragia definunt; aut si minus atrocitatis habent, inanitatis certe habent plurimum, & qui mare commoverunt cum periculo, iidem saepe sine cujusquam commodo evanescent. Utinam autem, ut plerumque venti, ita novitas semper omnis sine procellis & ruinis evanesceret! utinam non assuefaceret civium animos antiquitatem fastidire, cujus tantam in vulgus reverentiam vult esse magnus regendae reipublicae auctor Aristoteles, \* ut instituta veterum etiam minus idonea tolerari malit interdum, quam suspicionem praebere populo, posse aliquid rescindi, quod sit a majoribus constitutum! Fluctuaret enim semper resp. neque posset unquam firmo in statu consistere, si pro cujusque libidine aliud ex alio commutare fas esset. Blanditur novitas quidem, sed insidiosus illecebris, quae populum sic adjungunt sibi, ut a repub. divellant; sic admirationem excitant sui, ut contemptum pariant vetustatis: rapit omnium mentes, sed eo plerumque impetu, qui remp. concutiat: inflammant animos, sed iis facibus, quae ad regnorum incendia exardescant. Quae res tam persuasa Romanis fuit, ut labem in ipso vocabulo novitatis haerere voluerint; & turbulentos cives, hostesque patriae, satis a se notatos duxerint, si rerum novarum cupidos appellarent. Quod si tam praecipuus & lubrica novitas est, tantumque habet ad nocendum universa periculi: multo est tamen illa doctrinae, quam rerum caeterarum, ad labefactandam remp. sapientibus visa proclivior.

\* L. 2. Politic. c. 6.

Quamobrem cum nos praecipue pars illa spectet, manusque docendi nostrum, cujus intermissam de more professionem instaurare hodie dicendo summius: jam inde ab hoc aditu, id omnium nomine profiteor unus, novitatem non segniori quam ante cura prohibendam ab his scholis esse, quae nunquam nisi ad reipub. civiumque commoda, patuerunt. Quae disciplinae ratio ut intelligatis, Auditores, quam justa sit, quamque merito nostra: hoc ajo: ut illa fervetur, omnium interesse, patriaeque communis; & effecturum me hac oratione confido, doctrinae novitatem reip. periculosam esse. Et quoniam non privatam hic personam sustineo, sed communi fungor munere, omnium, quas scholae nostrae profitentur, artium aperiendi curriculi: non haerebo in uno quodam genere disciplinae, sed palam in universis faciam, quam tutas, si salvam rempub. volumus, a novatorum injuriis esse oporteat: simul id perficiam, ut me nemo putet unicum recentis doctrinae insensum ad dicendum venisse, cujus sermo ad omnes aequae pertinebit.

Atque hoc primum affirmanti mihi quis non assentiatur, quae res timeri publicis rebus a novitate solent, eas novorum dogmatum maxime proprias esse, turbas, dissidia, factiones? Fovent scilicet ingenia foetus suos, amantque perdere, & novitia ingenta, ut pusiones suos nutriculae solent, suavius deosculantur, pugnaciusque defendunt. Non desunt qui recentem partum suscipiant, ut proprium, & suum: tot parentes habet, quot amatores nanciscitur: atque ut quisque vetustiore doctrina minime instructus, & ea quasi orbatu est; ita novellam hanc cupidissime adoptat. Vix nata est, cum factionis est mater; huic efferendae patroni sui student impensius, hanc ambiciosius praedicant; sive homines arrogan-

tissimi hanc unam plurimi faciunt fastidio cœterarum; sive cum illius infirmitatis sint inanitatique conscii, vim illi atque robur a sectæ conspiratione quærunt; seu demum, cum non temere soleant auræ illæ novitatum, nisi a turbulentis ingeniis excipi, obsequuntur hi parentque indoli suæ; & turbas, ubi nactos se occasionem putant, moliuntur. Hinc jam quasi discessione facta, fervere incipiunt contentiones partium, pugnatur magnis animorum ardoribus, atque hoc pertinacius pugnatur, quod ingeniorum certamen est: quorum cum ignea & cœlestis natura sit, quis miretur ex eorum conflictu exprimi fulgura quædam & tonitrua, quibus omnia perturbentur? Quis non intelligat quam facile pariant discrepantes sententiæ studiorum dissimilitudinem & voluntatum, disjungantque concordiam illam civium, qua una maxime reipub. quies & tranquillitas continetur?

Familiam ducis emerisæ nuper philosophiæ præclare, nisi recens omnis secta, seu contumacia fautorum, seu fato alio quodam, obnoxia turbis esset. Novum doctrinæ figmentum architectatus es? belle, nisi vetustam alteram & sua canitie venerabilem, exemplo pessimo, arrogantius sustulisses. Innoxium est tutum illud scientiæ genus, neque ad remp. attinet? commode (dandum enim est aliquid tibi) commode inquam, si stare hic novandi libido posset: sed quis hoc non videat, illam modica in re audendi impunitatem, gradum esse ad majora deinceps tentanda jactum; illosque ipsos, qui novis aliquando rebus inductis remp. impulerunt in præceps, proluisse minimis initiis ad decretoria facinora, & exiguus in rebus audaciæ tyrociniū posuisset?

Quid est quod videri levius in republ. possit, quam joci, \* lufosque pueriles? horum novitate, tanquam

\* L. 7. de leg.

tanquam ad perniciem exitiumque propensa; bene temperatis civitatibus summus reipubl. artifex Plato interdicit; observari jubet, quibus se pueri ludis oblectent; vetat ne quos usurpare sinantur, nisi consuetudine receptos; si secus faxint, si quod inter eos vigeret lusionis genus coeperit præter morem patriæ, modumque communem: tum verò, quantum id eunque judiceret ex sese, id tamen tantæ vir gravitatis & judicii, affirmare totidem verbis non veretur: non esse pestem ullam reipub. hac ludorum a pueris adhibita novitate majorem. At quid admodum civitatis interest, an equitent in arundine pueri, an in corbe navigent? quid aliud diceret, si bello duces, non pueri ludo certarent? aut quæ posset ab eo major adhiberi cautio, si de reipub. non de pilæ conservandis legibus præciperet, perinde quasi cum pila & trocho, fortunæ orbis, & Græciæ fata verterentur? Profitetur nimirum, non tam a se quid pueri moliantur in præsens, quam quid grandiores iidem aufuri sint, timeri; corrumpi teneram indolem, animosque perverti illa morum inconstantia, & desultoriis cupiditatibus; neque cives olim in republ. quietos fore, qui semper fastidio præsentium affuerint. Quapropter eadem interdictum lege, ac prope religione vult, ne vel carmina modulentur, nisi usitata; vel ad numeros saltent, nisi patrios; vel formam adfiscant vestium, nisi popularem: in his, omnique vita communi novi quidpiam comminisci, nefas esse.

Et erit, Auditores, erit ut minus in ingenuis artibus videatur ad rempubl. momenti, quam in nugis pueritiæ constitutum? interest reip. quibus pueri ludis indulgeant, non intererit quam juvenus disciplinam accipiat? e re communi est quid saltent, non erit quid literarum addiscant? refert patriæ quibus in-

duantur vestibus, non quibus artibus imbuantur? periculum est, si frivolis etiam, & ludicris in rebus deficiatur a patria consuetudine; in doctrinis unis, erunt artes quædam alieniores, quam ut ad rempubl. pertineant? novari, antiquari, permisceri omnes impune poterunt.

Propulsanda est certe novandi libertas a disciplinis omnibus, ne tandem in aliqua una noceat. Cum enim illæ non tantum subtiliter differendi leges & acurè intelligendi contineant; sed etiam bene honesteque vivendi; neque viros solum eruditos, sed etiam bonos cives instituant; cum omnia privatæ, civilisque vitæ officia temperent, omnia sacrorum jura describant: hoc diligentius est licentia omnis a toto illarum corpore cohibenda: arcenda est novitas ab ipsarum limine, ne interiorem in sedem grassari pergat: prohibenda ejus in dialecticam incurfio, ne hinc in mores hominum, in descriptionem reipublicæ, in legum sanctitatem, & religionum irrumpat: ne in res maximas recepta, tempestates faciat, quæ turbas aliquando in minimis excitavit.

Nam ubi semel erupit hæc vefania, quam audendi sibi modum facit? Raro acquievit in majorum sententiis, cui novam aliquam fabricari, & promere de suo impunè licuit: at sive delinitus prioris inventi laude, sive hoc hominis ingenium est; ubique parturit, ubique suus esse vult: nihil in mora est antiquitatis auctoritas, ex quo neglecta semel, & inverecunde despecta est; displicent militares viæ, quia tritæ vulgaresque sunt: quærendi novi quidam in omni scientia calles nullius adhuc tentati vestigiis, nullius suspicione & conjectura indicati. Et vero cum ad doctrinas omnes idem afferatur ingenium: quid expectandum est ab eo, cujus temeritas periculum in arte una fecit; nisi ut peræque tractentur ab eodem omnes;

omnes; neque politicæ disciplinæ parcat, qui temerè in reliquis & petulanter incurrit. Quanto est igitur consultius, pestem illam, in re tenui, in eruditionis parte maxime otiosa, minimeque per se suspecta blandientem elidere!

Neque id vero commentitiæ cujusdam est reip. proprium, cujus conceptam animo formam sic expressisse Plato dicitur ad specimen optime constitutæ civitatis, ut non descripsisse remp. sed opasse sit visus. Nihil profero, quod sæpius non sit ad hujus regni salutem & incolumitatem, regum nostrorum edictis, & senatus auctoritate provisum. Turbat Petrus Ramus in Parisiensi academia (quæ tota repugnabat) & rejecto peripatetico differendi genere, novum quoddam dialecticæ simulacrum excitaverat: hujus doctrinam Franciscus primus publicis literis damnatam compescuit: ipsi scholis in posterum omnibus, omnique docendi munere interdixit. Irreperat in eandem academiam hæc, quæ Nominalium appellata est philosophia: eam Ludovicus XI. regum nostrorum, ex omni memoria, reip. regendæ prudentissimus, exterminari scholis Parisiensibus omnique regno jussit, premi auctorum libros, contumaces exilio multari. Et Ludovicus quidem, præter universum odium novitatis, hoc etiam promptiore animo sectam illam in rerum nominibus illudentem oppressit; quod intelligeret, quantas excitasset ubique turbas illius princeps Ochamus: qui a novandæ doctrinæ confidentia, ad novarum in repub. rerum molitionem proliens, adversus Pontificem Maximum cum Ludovico Bavaio Cæsare conspiraverat, eumque solebat hortari, ut fortiter ferro faceret, se interim stylo acriter pugnaturum. Franciscus vero præiagire jam inde videbatur quoniam esset illa Rami evasura temeritas, hominis quo insignius exemplum

posteritati nemo dedit, quam fœde illa novitatis intemperantia a minimis initiis ad ipsius reipubl. labem & exitium gliscat: qui cum novam grammaticam, nova docendi via, novisque præceptionibus edidisset; cum in rhetoricæ principes, lingua styloque inductus, sprevisset Aristotelem, risisset Tullium, Quintilianum explosisset, novamque esset ipse dicendi artem fabricans; cum in philosophia tragœdias, aduersus philosophiæ parentem, excitasset: ad extremum idem homo in theologia fuit, librosque scripsit de Christiana religione quatuor, flagitiosa novitate infames: hinc res novas cum Calvini grege molitus, & in magna illa perduellium internecione, Lutetiæ peracta, inter hostes patriæ obruncatus est.

Non desideravit reipub. eandem, in reprimenda ingeniorum lascivia, ordinis amplissimi diligentiam: sed & probata est in illa Rami causa; & roties, in doctrinæ insolentiam, senatus decreta facta sunt, quoties emerit illa, & vetustioribus disciplinis infidiata est: ut hæc monumenta essent, quanti curam hanc ad reip. quietem interesse publicum Galliæ consilium iudicaret.

Quæ principum, magistratuumque sanctiones, cum in omnem doctrinæ novitatem graves & severæ: tum vero in eam quæ religionem attentaret, hoc graviores fuere semper, quo propius ab ea, præsentiusque periculum imminere visum est. Reguntur certe, reguntur a præpotente Deo reipublicæ: neque aut rigida quadam necessitate fati, aut præcipiti volubilitate fortunæ; sed æternæ mentis numine, & providentia gubernantur. Nutu fundat imperia, nutu destruit: præscribit iis diurnitatis & potentia fines, eorumque amplitudinem suo favore metitur. Quapropter hoc regnis usuvenire, frequentibus experimentis edocti sumus, ut perinde atque religionem cura-

rent:

rent: quæ nostra una cum Deo consuetudo est; ita vel starent eorum res, vel labarent: neque gentes ullæ sacrorum abjecerint & ceremoniarum formam, quæ non reip. quoque amiserint.

Neque vero tunc læditur religio solum, cum peregrinis ritibus, & abhorrentibus a prima institutione sacris, tota corrumpitur: sed etiam cum alienæ doctrinæ, quamvis in speciem incorruptæ, afflatu leviori perstricta tentatur; tunc ejus majestatem imminui, ei periculum, patriæque adeo, creari putandum est. Nam si novare fas esset cuivis, qui modo præfaretur, nihil a se nisi sanctum afferri; qui novandi finis esset? aut quod tandem theologiæ nostræ vestigium teneremus? Quid quod non est religio ex iis concreta partibus, quarum aliæ dissolvi, intactis aliis possint? sed ejus ita coagmentatum corpus est, ut totam commoveat, qui eam aliqua parte concusserit; ita simplex atque individua ratio, ut supersit ex ea nihil, si quid vel modicum ademeris. Quidquid religioni addideris, superstitio est; quidquid detraxeris, sacrilegium. Virgo est: intactam servari oportet; neque vel atrectari temere, vel delibari quidquam ex ea, sine probro, & incesti suspitione potest. Quamlibet sit præclarum & illustre novum illud doctrinæ munus, quo donandam religionem suspicis; similis mihi videris adulteri, qui magnis conditionibus virgini stuprum offerret. Vetusta eadem, & cana est: eam fucus & cerussa non decet; illudit ejus ætati, quidquid novarum est elegantiarum, & adscititiæ pulchritudinis, recenti artificio comparatæ: atque ut senili majestate, veneranda est; ita novis in cultu instructuque deliciis, & omni comprioris meretriculæ mundo adornata vilesceret. Quod si & violatur hæc, minimarum rerum inducta novitate; & ea læsâ regnis a vindice Deo conversiones, & exitia impendent: inrel-

intelligitis, auditores, quam sit e republ. defendi novatorum audaciam omnem ab ea doctrinæ parte, qua sacrorum interpretatio continetur.

Sed quoniam illi religionis corruptores duci religione, metuque numinis non solent, Deumque ac divina omnia nullo habent loco ac numero: relinquam universum illud argumentorum genus: iis agam unis, quibus cum profano quoque pugnarem, remque patriar humanis rationibus & iudiciis æstimari.

Ex omnibus, quæ concitationes efficiunt animorum, estne aliquid, Auditores, quod vim natura majorem his duobus habeat; novitate, dico, & religione? Habet hæc multum auctoritatis, illa plurimum illecebræ: hæc animis imperat, illa blanditur: hæc veneratione populorum, illa eorumdem amoribus; utraque, admiratione excipitur. Et religionis quidem tantam esse vim, ipsi religionis, & pietatis expertes homines duxerunt, ut eam in republica iusserint ad regendos, continendosque populos præcipuo studio curaque servari: novitatis verò ea semper gratia fuit, ut novarum inventores rerum, & artium, dii quondam a profanis gentibus habiti, & consecrati fuerint. Quæ si concurrant ambæ, simulque conspirent; si novitas blandimenta sua religioni, religio suum novitati pondus, & majestatem addiderit: nihil erit vel suavius ad illiciendos animos, vel potentius ad eosdem, quamcumque libebit in partem, impellendos. Quare hoc semper consultissimi quique rerumpub. moderatores diligentissimè providerunt, ne quid existerent novi religionum interpretes, auctoresque sacrorum, qui doctrinis suis infatuarent civium animos, adjunctosque sibi & religionis nexu, gratia novitatis, possent ad quidvis audendum abducere.

Quibus sunt aliis artibus ad Europæ perniciem grassati

grassati illi tot rerumpub. eversores, geminæ voragines scopulique regnorum, infanda ad omnem Christianæ gentis memoriam nomina Lutherus, & Calvinus? Novæ theologiæ figmentis, larvisque religionum recentibus, emoræ civitates, convulsæ provinciæ, turbata imperia, omnis Europa concussa est. Quam ante istorum tempora viam perdendæ Asiæ; Africæque, & excitando sibi regno Mahometes inivit? tenuis, & sordidus camelorum pastor, novæ doctrinæ magister repente factus, divinum quendam afflatum animi simulans, cœlestiumque congressum, multitudinem superstitione caprat, superstitionem armat audacia; tot milicum ductor, quot discipulorum ante doctor fuerat, religione allicit, armis terret, vastat, incendit, imperat.

\* *Tantum religio potuit suadere malorum.*

Imperiosa religio! seu tu vera, seu falsa persuasioneris, utrobique imperiosa, & summa dominatrix animorum! Parem adhibet concutiendo terrarum orbem machinam, quisquis hac industriè & solerter utitur: neque populos certius regere quisquam potest, quam qui eos hoc freno moderatur. Cum enim sit omnium innata & infixæ mentibus notio superioris cujusdam naturæ, cujus pendere nutibus se, fortunas suas, alteriusque adeo vitæ felicitatem intelligant: natura fit ut quo quisque se magis amat, hoc fit in ejus cultum reverentiamque propensior. Nihil est ea populis antiquius, qua nihil vel cum rebus suis conjunctius, vel per se augustius esse ducunt: hanc traditam sibi a parentibus præcipuam possessionem, neque tam rerum suarum, quam sui partem reputant, hærentem in ipsa natura, & intimis sensibus admirabiliter insculptam. Quo fit, ut nova religionum interpretamenta, eodem animo nonnunquam excipiant, quo cognoscerent in-

\* *Lucret. lib. 1.*

dicatam sibi partem aliquam insignem paternæ hæreditatis, quæ diu latuisset. Hinc eorum inflammantur studia; atque ut nihil habent ea re carius, ita nihil est, quod hujus accipiendæ, & conservandæ causa non audeant: neque morantur eos ulla pericula, cum hac specie velata sunt.

Ex quo funestissimum etiam illud accidit, cum novæ religionum doctrinæ ostentare se populo cœperunt, ut dissidentibus civium animis, & partim novitate abreptis, quæ leviores impellit; partim antiquitate stantibus, quæ graviores retinet; utriusque religione nitentibus, quam omnes affectant; secum ipsa luctetur intus respub. & a se quodammodo divulsa æstuet, exæque concitentur in ipsa turbæ seditionum, quibus concordia civium, vis legum, auctoritas magistratuum opprimatur.

Nam civium quidem, in illis de re tanta divortis, quæ potest esse caritas, & conspiratio? quæ non fovebuntur dissensiones, cum ruptum erit vinculum illud publicæ societatis? fietque discordiæ fomes, qui concordiæ nexus ante fuerat? quæ non aperta odia palam erumpent, cum inter se discordabunt ea dædere, quæ publica & omnium communis est? quàm erunt sævi atrocisque conflictus animorum, cum pro aris utrinque certabitur, & in religionem religio pugnabit? Etenim ut nunquam inter se, nisi acerrimè, fratres oderunt, propterea quod summum illud odium oportet esse, quod fraterni amoris vim superare potuerit: sic eorum, quos ejusdem religionis quasi cognatio & germanitas quædam junxerat, dissociari non possunt animi, nisi crudelissimis dissidiis, quæ pristinæ conjunctionis recordatione, vehementius ingravescant.

Legum verò quæ tunc esse vis, aut quæ vigere disciplina poterit? Sunt enim profecto leges ab imperiorum

riorum conditoribus religione fundatæ, vel quod præscripta illa officiorum vitæque communis a vitæ magistra religione petenda duxerunt; vel certe, ut venerationem iis majorem adsciscerent: & si forte præcipitem furore ac desperatione populum, pœnarum metu regere, aliquando leges non possent; tunc eundem sanctitate sua quadam, & quasi divinitate continerent. Quare cum religionem afflare doctrina insolentior, cum permulcere civium animos & commovere cœperit: quid aliud, quam periclitari leges, easque, vel subducto solo ac fundamento ruere, vel concusso labare necesse est?

Quid interim magistratus? alteri favebit parti? alterius offensionem incurret: neutri se addicer? utriusque erit invidus. Vereri enim & amare qui possint, quem nullius religionis hominem ducunt? aut quam huic inesse religionem putent, qui nullam profitetur? Quæ magistratuum auctoritas, quam parum tuta sit inter hujusmodi sectarum novitates, & temerarias commutationes sacrorum intelligimus, Auditores, ex eorum hominum gestis; qui religioni nostræ aut vetustas opes detrahere, aut novi quidquam aspergere recentis doctrinæ fucō tentarunt: quorum illud semper ingenium fuit, ut impatientes dominationis essent, potestatemque principum, occulte primùm & quasi per cuniculos, tum ubi tempus ferret, aperta vi & professis odiis oppugnarent. Et vero cum sit illud peculiare Christianæ professionis, ut demissis omnes subjectisque mentibus simus: proprium hoc contra videtur eorum esse, qui ejus immutare leges & pervertere instituta conantur, ut majorum imperium superbe, arroganterque detrectent. Quam proclive est, ut qui tot sæculorum, tot ingeniorum venerationem auctoritatem spreverit, hominem unum veteri tandem & observare dediscat? quam affine, ut



regia jura conculcet, qui divina protriverit? Parit vivendi licentiam, illa opinandi, & sentiendi libertas: affluunt præfracta ingenia, suæ sententiæ, sui que juris esse: vitæ suæ volunt esse arbitri, qui religionis fuerunt: inter subsellia, contumaciæ rudimenta ponuntur. Quis eum miraretur excitare in republ. turbas, qui prius in academia sua turbasset? violare magistratum edicta, postquam ordinis sui decretis parere recusasset? & quam expertus esset in evertendis divinis legibus audaciam, eam deinde in regiis exercere?

Sed nihil hominum hæc indoles per se noceat: sint quieti, sint tranquilli; nihil aut moliantur in republica turbarum, aut deinde molituri sint: etiam ipsis quiescentibus, patriam eorum doctrina perfundabit. Nova scilicet imbutus disciplina populus, novis institutis vivere incipit, novoque ingenio: neque possunt alii mores, non cives alios, aliamque adeo republ. efficere. Inducantur licet honesti ritus, salutarisque per sese, & prisca haud paulo meliores: nocent tamen, neque tantum erit in re ipsa commodi, quantum ab illius novitate periculi creabitur. \* *Ipsa quippe mutatio consuetudinis* (liceat Magni Augustini verbis uti) *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Ut enim relinqui quotidiana victus ratio, & contraria quædam adhiberi non potest, quin tentari valetudo incipiat, & temperatio corporis tota commoveri: ita novis populi studiis, novoque vitæ genere turbari necesse est republ. statum, quæ nullis aliis conservari moribus potest, quam quibus affuevit.

Quid igitur si prava per se ac perniciofa sunt instituta illa, quæ temeraria novitas inferre docendo aggredditur? Quid si male in republ. doctores ipsi animati sunt? Et sunt profecto; neque ullus eorum esse solet,

qui

\* *Epist. 118.*

qui tantum patriæ non sit, quantum pierati, & facris inimicus. Nam, vel excitant in republ. turbas, ut velificentur novæ religioni, quæ nunquam facilius quam inter tumultus invecita est: vel novam religionem afferunt, ut republ. perturbent; quam norunt hæc re maxime una concuti, & everti posse. Utrumvis spectent, patriæ pestem utrinque machinantur. Quis ullam in republ. seditionem vidit, quam isti, tanquam stabella quædam, non agitent, auferentque? quæ turbæ fuerunt, quarum occasionem non captaverint? quibus alendis, consilio, calumnia, sumptu, omni ope atque opera, non studuerint? aut quis hoc non videt, factiones illas jam collectas conflatasque, ad manum esse cuius ex optimatibus factioso, tanquam expeditas, stantesque in procinctu, & ducis alicujus nutum expectantes? Quod si genibus cæteris ignotum antea fuisset, nostris cladibus superiore sæculo didicissent. Sed & suis ipsæ sunt eruditæ casibus, vixque ulla est, cujus in sinu impressa non extent tristissima quædam ad memoriam vestigia, ex quibus intelligere posteritas queat, quid in illa religionum novitate, vel sectatores factionibus; vel doctores, furore & violentia; vel doctrina ipsa, sua perversitate, & malignitate quadam, publicis rebus miniretur.

Græcia, regum olim parens, alumna majestatis, omnium magistra & domina populorum, quæ te fata tot spoliarent opibus, & ornamentis, quorum ex omni splendore, una tibi nominis umbra superest? Obsolescere apud te coepit antiquum illud imperii decus, cum primum vetustæ religionis integritatem novis opinionum commentis adulterare coepisti. Fuerunt divortia doctrinarum, & perpetuæ de mysteriorum nostrorum sanctitate contentiones, tot bellorum prænuntiæ, quæ te, tuaque sacra expilarunt. Mul-

B

ctata

Etata est illa divinis de rebus decernendi libertas, durissima fervitute, qua deinde pressa es: exemplumque in te positum est, in quo gentes omnes agnoscerent, præcipi em illam sacris in rebus innovandi licentiam, vel causam exitii, vel omen impendentis calamitatis esse. Pacata esses, Britannia, nisi te hi turbines agitaissent. Ex quo inhiare cœpisti ad omnes de religionis doctrinas, & suspensa ex illis auris esse; nulla tibi quies a tempestatibus, & naufragiis fuit. Olim fortunata, nunc incerta erransque insula, quasi eruta radicibus tuis, & a fundo revulsa, fluctuas: tot abrepta ventis in diversa pellentibus, quot varias pugnantisque sectas una secuta es: tot lacera partibus, quot te formæ superstitionum contrariæ dividunt, distrahuntque: cadaver imperii, ex quo apud te anima imperii avita religio extincta est: aut potius, ex quo novas alias accepisti, similis eorum hominum, qui cum sint a multis inessis correptique impuris spiritibus, raptantur ab iisdem, vexanturque sævissime, suumque in se furorem exercentes, non membris, non capiti parcunt; neque possunt suo regi spiritu, dum a multis alienis, & adventitiis agitantur. Unde apud vos, Belgæ, tanta rerum est superiore sæculo facta conversio? ejecti principes, ut plebs imperaret; nova in urbium ruinis fundata resp. quæ sita vitæ libertas, inter cædes mortemque certissimam, cui nusquam amplius theatrum, quam in angusta illa portione terrarum patuerat. Illos tumultus, illas provinciarum vestrarum ærumnas, & perpetuas tot annorum tempestates, sparsa temere apud vos exponendæ religionis novitas una, concitavit. Germania, quæ gens erat in orbe terrarum te beator? quæ omnium, aut statu pacatior, aut fundatior opibus, aut imperio potentior, antequam æstus illi aliarum ex aliis doctrinarum religionem absorberent tuam; cumque religio-

ligione adeo beatam illam pacis & otii tranquillitatem pellerent, exhaurirent illam opum amplitudinem, illos potentia nervos eliderent? iisdem in sinu tuo procellis Bohemia, iisdem Pannonia jactata est: neque provincia, quam late pates, ulla fuit, quam non hæ commotiones everterint. Eadem a te lues in Septentriones summissa, cædes atque occasiones fecit in Dania, expulit e Svecia reges, dissensiones commovit in Polonia; ubique bella, strages, parricidia excitavit.

Abstineo a te consulto, Gallia: parco luctum renovare funestissimorum temporum, quorum ipsi partim incendia, partim fumantes adhuc reliquias vidimus. Hoc tantum interrogo: quæ tibi pestis tantum consciscere malorum potuit? quo delusa & capta fascino, in te ipsam conjurata pugnabas, tuis opibus consumpta, tuis fracta viribus, quæ alienis semper invicta fueras? cum a templorum ruinis, ad urbium & provinciarum direptionem; a contemptu sacrorum & ceremoniarum, ad legum everisionem; a sacerdotum proscriptionibus, ad cædem magistratum; a divinæ auctoritatis neglectione, ad regis despicientiam odiumque, nefarii cives bello indicto progressi sunt. Tibi, finitimisque populis, tot calamitatum causæ, novæ de theologia fabellæ fuerunt.

Prohibant argutuli morum religionisque censores, velut dii quidam e machina, homines ignoti prius, & sua tantum novitate famosi. Erat in vultu habituque omni expressa priscorum temporum simplicitas, & affabre quodammodo facta modestia: quam alii ad conciliandos animos comitate quadam, & affabilitate sermonis exquisita; alii ad incutiendam venerationem, tristitia & severitate condebant: sanctitatem integritatemque vitæ congressus ipse spirabat. Profitebantur afferri a se laudatiora quædam instituta, & castigatiorem disciplinam, qua-

lis aut natæ recens, aut ævi quodam flore vividæ religionis fuerat: consenuisse apud æquales suos ecclesiam, illa viriditate, illo ætatis integerrimæ robore, ac virtute defectam: a limpidis illis fontibus divertisse multas jam ætates ad turbidos lutulentosque rivulos, quorum cœnosæ ac putres aquæ ad sua tempora permanissent: correpsisse in religionem, ipsumque adeo sinum ecclesiæ, sordes errorum intolerabiles, morumque corruptelam, quibus emendandis provisum esse divinitus antistitem suum ajebant. Postquam levioribus in rebus minima offensione prolusisse visi sunt, primus est ab iis imperus in Christiana sacramenta factus. Rejecta privata sui accusatio; & larva quædam pœnitentiæ, eaque publica, ad veteris illius, uti jactabant, amussim exacta, servata est. Redactum ad tenuem exilemque umbram sacramentum omnium augustissimum, ejusque usus valde infrequens inductus; quo uno captata omnium ingenia sunt: nam & superstitiosi ducebantur reverentiæ specie; & licentiores, minusque amantes sacrorum, probabant hanc ceremoniarum vacationem loco religionis oblatam, in eoque se pios esse gaudebant. De divina gratia, deque humanæ arbitrio libertatis, venditari flagitia cœpta sunt; in quibus nihil studebant magis, quam ne quid novi protulisse videntur: ubique auctorem Augustinum, ubique prima ecclesiæ sæcula doctrinæ sibi normam, exemplumque religionis esse prædicabant. Cognoscite, Auditores, quam sit omnis per se odiosa novitas, cujus artifices & molitores ipsi, etiam cum eam efferre in lucem, & commendare populo student, nihil a se vehementius, quam novitatis odium deprecantur; malutque carere inventi laude, quam adhærescentem ad res novas offensionem suspicionemque justissimam subire. Augustinum interim, doctores in exedris, in circulis

mulier-

mulierculæ, in officinis sellulari opifices, doctrinæ suæ fundum crebris sermonibus usurpabant. Pandebantur omnibus operta theologiæ; mysteria nostra, oblectamenta plebeculæ facta; Davidis carmina, sacri libri omnes, omnia religionis arcana, patrio sermone vulgata sunt. Primæ in illa rep. mulierum partes erant, ut quæque lepidissime gariebat; ita vel in disceptandis controversiis, vel in aucupandis, aggregandisque ad partes suas amatoribus, maxima laude versabatur. Ubi coalita in corpus & conflata secta est, proprii catechismi, propriæque precum formulæ spargi cœperunt in vulgus, ut novæ religioni nova elementa ne deessent. Factæ quoque ad sustentandam civium inopiam largitiones effusissimæ, vel ad prolectandam fœcem egentissimorum hominum, vel ad illudendum incautioribus, & novam impietatem hac vetustæ pietatis & charitatis specie velandam. Nihil autem omnium æque nocebat, atque nimia quorundam mollitia, virorum alioqui minime malorum, & sanioris doctrinæ retinentium: qui sive natura mitiores erant, & urbaniores justo, sive delusi furo illo sanctitatis, certe: parum theologiæ gnari, novam hæresim damnari palam vetabant, aut appellari durius, tanquam si probabilis controversia foret; & necessariam religionis defensionem, contumeliam vocabant. Augebantur enim illius pestis pericula, dum ejus odium minuebatur: & quo minus erat suspecta, eo securius gliscebatur. Conscendebant fidenter in templorum pulpita buccinatores exitiosæ discipline, ludimagistros captabant, quorum opera teneræ puerorum mentes occuparentur: propria quædam sibi gymnasia, tanquam emporia doctrinæ suæ, novæque reip. seminaria vindicabant. Viri eruditi, si pecunia subornari poterant, ingenti stipendio redempti: si corruptelæ minime affines visi; vexati ca-

B 3

lumniis,

lumniis, appetiti contumeliis, modis omnibus infamati: neque fuit cura potior, quam ut ordinis professione vitæ ac nomine religiosos, partim odio, partim ludibrio exagitaros, vel detererent a meliorum propugnatione partium, vel omni apud populum auctoritate spoliarent. Si quis erat, quem contra rem suam venire intelligerent; hunc, quisquis esset, dum acceptas a patribus, neminique ante illorum vecordiam vocatas in dubium doctrinas fide bona exponit, palam infimulabant Pelagianæ perfidiæ; Pelagianum pleno ore, buccisque tumentibus, haud scio an fastidiosius, an contumeliosius appellabant. Pelagiana ipsis Sorbona, Pelagiani sanctissimi quique doctores, Pelagianus pontifex maximus erat. Nihil dico, quod ipsorum monumentis consignatum hodieque non extet. Et principio quidem cum magnæ fuissent in Romanum pontificem, maximæ in Ecclesiam obsequii & reverentiæ significationes datæ: ad extremum, derisa hujus auctoritas, illius fulmina exsibilata per ridiculum, & temere laceSSita. Petebatur unum illud ecclesiæ caput, ut deinde faciliore de præsulibus cæteris victoria defungerentur: redactum in ordinem, & æquo parique jure cum episcopis aliis esse jussum, dividebant in plura capita, ut esset vis ejus distracta debilior; neque pax iis fuit quiesve ulla, quoad importunam cervicibus suis omnem sacrorum magistratum auctoritatem excuterent. Hic ad potestatem regiam oppugnandam gradus fuit, hæc populo ad perduellionem via munita est. Quid in animas non possit conciliatricula novitas? Populus regum suorum præ cæteris amans, ubi novarum opinionum religionumque quasi musto quodam incaluit, classicum in reges suos canit furore atque amentia præceps; conscribuntur ex omnibus ordinibus innumerabiles copię; summis, mediis, infimis, ad arma

tanquam ad sacra convolantibus, omnes ab antesignanis suis religione ferroque armantur. Succenturiantur huic militiæ manus ingens, vel desperatorum, qui fortunæ suæ fastidio, publicam odisse solent; vel simplicium & incautorum, quibus aliorum exempla jus faciunt. Ita ex minimis initiis, pestiferæ novitatis, quæ negligenda plerique ducebant, ex illa emendatione morum ad exemplum sanctissimæ vetustatis expressa; adeo succrevit impietas, eoque sensim ad hujus exitium imperii proveSta est, ut regnum suum in Gallia reges nostri prope quærerent. Qui ut minus haberent apud omnes venerationis, minorque populo religio esset, in eos pugnare, quibus vel odio, vel contemptui habendis assuevissent: prius etiam, quam armis paterentur, strictus in eos stylus est, cujus mucronem acuebant ad procacitatem omnem sacrilegi scurræ, & in optimorum principum vitam moribusque defigebant.

Quo ex genere sectaque hominum fuisse oportet illum (satis enim ex ingenio agnoscitur) fuisse, inquam, illum oportet libelli, qui Mars Gallicus inscribitur, auctorem; qui mentito Alexandri Patricii Armacani nomine latere voluit, scriptorem, si quis unquam alius fuit, in obrectando furiosum. Quæ vox si paulo visa est amarior, larva quam induit, Armacanus iste accuset. Ita enim a conviciando, natura sum & institutione alienus, ut si certus libri proderetur auctor, quanquam æque factum horrerem; personæ tamen, in cœtu præsertim honesto, parcendum ducerem; neque ut graviore dicto læderem, ut notarem verbo, possem adduci. Sed dum sine cuiusquam injuria indulgere justissimo dolori possumus, & amor in patriam regesque nostros; quis invidet? aut quæ prohibeat officii lex? aut quis naturæ pietatisque sensus non imperet? Reges ille nostros, quot

quot sunt, idoneos putavit, in quos omnem contumeliarum facem, sine pudore ac modo, evomeret. In quo quid primum omnium admirer, indignerve nescio, ita ex omni literarum, librorumque memoria, qui stolidius mentiatur, præfractius imponat, interpretetur malignius, novi neminem. Fuit certe, fuit impietatis maximæ, librum scripsisse tam execrandum; in gentem summè Christianam, in divina munera, in sanctissimos reges injuriosum. Fuit fordidi, vilisque ingenii, arripuisse de trivio crudum illud maledicendi genus; & cum nihil reperiret nisi sanum, & integrum, ulcera fecisse, in quibus unguem infingeret. At quod furorem illum ne abstinuerit quidem ab augustissimis capitibus, quorum vereri effigies debuisset; videte, auditores, quo dignum id nomine, cuive pœnæ obnoxium judicetis.

Sed librum illum sane mittamus, illum calumniarum gurgitem, contumeliarumque sentinam, quæ agitari diutius sine nausea non potest: eoque orationem, unde modice deflexerat, referamus. Intelligite, Auditores, quam sint perniciose de repub. meriti superiore sæculo; illi de quibus ante dicebam, paternæ pietatis desertores; & quo patriæ periculo, etiam cum signa in reges sublata nondum essent, religionem suam nova doctrinarum colluvie inquinari paterentur: ex eo enim id apparebit, quod pugnamus unum; nunquam hujusmodi doctrinæ novitatem, reipub. periculofam non esse. Hoc autem liquidius in exemplo cernite.

Facite Armacanum istum non unius fuisse monstri parentem, sed librum edidisse de theologia, Marti Gallico germanum & geminum, idest, valde contumeliosum: facite (quid enim fingere cogitando non licet?) novi quiddam ab eo de religione allatum esse; novam institutam esse sectam; confectum doctrinæ corpus

corpus, seu plane novum, seu concinnatum ex alio quodam pestilenti, & ad fraudem interpolatum. Huic deinde si qui cives pertinaciter adhærescerent, si eum novæ disciplinæ sequerentur auctorem: hoc a vobis quaero: quamvis nondum erupisset aperta in rempub. conjuratio, an non videretur tamen illa hominum natio huic perniciofa regno, & rebus nostris inimica? esset profecto, & supra quam dici potest, esset inimica. Cum enim novitas omnis natura suspecta sit: suscipi certe non solet, si non illius auctor ex omni parte placeat. Numinis tibi alicujus inftar est, qui tantum in te auctoritatis obtinuit; amplecteris ejus studia omnia; omnia in verba juras: neque potest in altero tibi detestabilis, in altero Deus aliquis videri. Fingerentur illi ad Antistitis sui naturam; hominis ingenium, moresque combiberent; & ejus odiis imbuti, factionem conflarent huic imperio vehementer infestam. Cumque deinde ad turbas, ad defensionem, ad arma ventum esset; qua excusatione uterentur etiam imprudentes, minusque mali? qui hoc saltem haberent criminis, quod satis ab eo, quem patriæ suæ scirent hostem, cujus timere debuissent sinistra consilia, non cavissent: maxime si Mars Gallicus non excidisset juveni Armacano, sed a viro elaboratus esset inter contemplationes illas, quibus novam a se theologiam divinitus hauriri fingeret: neque ignorant ipsius affectæ, fuisse utrumque illud opus eodem fabricatum tempore, eodemque proinde suffusum felle, eodem spiritu animatum. Minus enim isti causari possent, deceptos se fraudulenta professione quam ubique Armacanus ingereret, suavissimæ caritatis: cum doctrinam illam nosset inter atrocissima maledicta, furioso ingenio conceptam; ab eo, qui tum, cum eam pareret, tetra quadam in Augustissimos principes rabie totus æstuasset. Quid verò, si

novus

novus ille apparatus theologiæ, re novus non esset? si nihil afferret, nisi recoctas fæces illius doctrinæ, quæ tot nuper in Gallia procellas tempestatesque concivit? quanto esset ementita ista novitas huic regno periculosior? & quo flagitio eam isti susceperent?

In illa rerum imagine, quam ad exemplum ultro a me confictam videtis; recognoscite, Auditores, quam graviter sit in temp. proximo sæculo, a transfugis illis, ipso novitatis initio, exortuque peccatum: qui si nondum civiles motus, nondum inflammatas seditiones, patriæque incendia cernebant; videbant certe famosos in reges libellos; satisque docebantur his unis, quæ doctorem suorum modestia, quæ pietas esset; aut quorsum eorum consilia, novæque sectæ clandestina & tenebricosa institutio spectaret. Si nullus erat regum amor respectusque nullus; admonebantur amore patriæ rei que communis, ne acciperent satus pessimos doctrinarum, quibus recens in ipsorum oculis vexata Germania, & miserrime conflictata fuerat.

Ego certe si incidissem in illa tempora, ita mihi videor compellaturus præcones istos novitæ sanctitatis fuisse. Qui vos, aut unde tandem estis, quibus tantum de religione nostra liceat? Cur novis de paterna hæreditate litem, post tam diuturnam possessionem intenditis? Sinite nos iisdem uti religionibus & sacris iisdem, quæ dum hoc regnum susceperet, divinis muneribus ad gratulationem ornatum est; dum retinuit, florens stetit tandiu, perpetuisque Dei beneficiis est usum. Sine vobis Gallia per tot jam ætates Christiana fuerat: sine vestra theologia reges nostri, tot sæculis, Christianissimi merito dicti erant: Hunc iis titulum eripit, qui de ipsorum religione, & doctrinæ, qua Christiani sunt sinceritate dubitat. Christianissimi dici non possent si non essent jure optimo Christiani. Quid ergo nostram nobis in religione cæcitatem

tatem, erroresque nostros objicitis; qui eadem, qua ipsi, professione, eadem doctrina, sacramentis iisdem, ceremoniisque sacrorum utimur? Interim autem dum nostra vobis fordet antiquitas, & prisco ac tristiore cultu religio displicet; novitatis vestræ delicias, & exquisitiorem elegantiam, qua demum ut amplectamur, auctoritate obtinebitis? patrum decretis? pontificum oraculis? vos illa configunt. At doctrinam vestram ne tetigerint quidem; sit res adhuc in medio posita; nondum dijudicata, & decisa sit: cur pro re ambigua, & incerta, patriam in tam certa pericula conjicitis? Qua vero tam insigni laude meruistis, ut vobis tanta de re crederemus? an arrogantia illa, qua vos unos sapere, cæteros tot sæculorum, tot gentium, tot academiæ, eruditione juxta, & sanctitate præstantes viros desipere judicatis? cum iis nos errare patimini. An effrenata linguæ, stylique petulantia, qua privatos homines, qua reges, qua pontifices incessitis? his mysteriis nos initiari ne cogite. Idoneus erat scilicet ille hominum furor, per quem Christiana res ad prisce modestiæ formam referretur. O religionis nostræ præstantiam, quæ nisi per maledicos interpretes restitui non poterat! O Dei providentiam, & sanctitatem, qui post tot sæcula, vos unos tanto muneri pares invenerit! Probis, modestis, vercundis hominibus, si nova de sacris & religionibus dictata darent, non crederem: & vos audiam? Quod si pruritus innovandæ doctrinæ tantus urebat: saltem aliam inferretis, quam quæ recentium tumultuum concitatione infamis est. Ecce vix afflata nobis est illa, cum pax, & quies turbari cœpit. Facecite cum hac vestra, bonæ mentis & tranquillitatis inimica, sapientia.

Hæc mea fuisset, ut mihi quidem videtur, ad illos novitatis architectos, & iustissima quidem oratio

tio, certe hostes illos patriæ dixissem, & pacis inimicos otiique communis. Nunc autem, quantas a nobis Deo optimo maximo gratias haberi par est, Auditores, qui tranquillam rempublicam, & commodiora tempora nacti sumus? Tum quanta nobis vigilantia providendum est; ut quo fuit majoribus nostris novitas doctrinæ funestior, hoc firmus in retinenda ejus vetustate firmiores?

Non ideo loquor, quasi occupato a veteribus omni doctrinarum orbe, nullus inveniendi locus posteritati superfit: neque hanc fieri velim injuriam, aut disciplinis, ut nullis deinceps novis opibus locupletari queant; aut ingenii, ut sit iis campus omnis exercendæ industriæ præclusus. Inveniant certe, quibus hæc vel libido est, vel indoles: sed ita inveniant nova, ut vetera non perdant; artes a majoribus acceptas illustrent solertia sua, non invidia quadam extinguant: quidquid industria sibi pepererint sua; sit ipsis velut castrense peculium, quod ad patrimonium adjunxerint. Atque ut novum aliquem mundum excitatis urbibus, deductis aquis, hortis nemoribusque constitis, homines condiderunt sic, ut ædificatum a Deo mundum non destruxerint, sed ornarint: ita novum aliquid in doctrinis creare, eatenus fas esto, ut tanquam inædificatum veterum disciplinarum solo, ad ornamentum iis, & splendorem accedat. Serventur antiquæ mortalium altrices, a quibus sunt ætates ad hanc diem, gentesque omnes educatæ: ipsæ, si sunt aliquæ minus illustres, suum apud nos decus ac dignitatem obtineant: neque momenti nullius ducamus eas, quas ad reipublicæ salutem pertinere, regum nostrorum senatusque gravissimis judiciis decretum est.

Pariensis est præsertim academiæ, cum omnes vetustate superet, doctrinarum antiquitatem tueri cum

eum fama religionis ubique clara sit, profanam a theologia novitatem arcere; cum sit regum nostrorum condita & amplificata beneficiis, infensam ipsis eorumque imperio novandæ doctrinæ libertatem compefcere. Et facit profecto, tantaque auctoritate facit, quanta illorum exempla & decretis inest, qui cum ætate doctrinaque præstant, ordinis sui dignitatem sustinent, ac tuentur omnem. Quam integritatis laudem, eo sibi diuturniorem defendet bonarum artium mater, quod, & sapientissimi quique pro antiquæ doctrinæ tutela diligenter excubant; & cæterorum neminem par est credere, tam amentem futurum unquam, ut dum conspirare cum principibus suis summa cum laude potest, ab iisdem malit, cum multiplici flagitio, deficere. Is enim (si quis hujusmodi oriretur aliquando) dum & in academiæ contumax haberetur, & in religionem sacrilegus; ostenderet simul, quam metuendus patriæ civis esset. Nullum quippe ingenium est reipublicæ perniciosius, quam eorum, qui vel fastidio quodam auctoritatem omnem sine verecundia spernant; vel si novarum rerum auctores ipsi non sunt, pateant certe corruptelæ; & auctorati a factiosis, pretioque conducti, res augustissimas duas, religionem, doctrinamque cauponentur. Quid patria, quid communis tranquillitas patriatur, pensi nihil habet hominum illud genus; dum quanta mercede locati sunt, tantas aut scribendo, aut vociferando tragœdias excitent. Perturbanda est publica quies, perrumpendæ leges, sacra violanda, evertendum imperium; ut novatoris unius formidinis quæratur auctoritas: miscenda sunt cuncta tempestatibus; modo iisdem ille ventis ad gloriam provehatur: tanti est perire omnia; dum antistitis sui secta, nomenque vigeat. Hæc factionis omnis indoles, hoc ingenium est, Auditores: ejus ab importunitate

tunitate ut caveamus in posterum, & præteriti temporis calamitates admonent; & faciunt eædem, ut nullo negotio caveamus. Est enim tam recens apud nos memoria fraudum omnium, quibus circumvenire populi religionem perfida novitas solet, ut iis deludi, nisi volumus, non possimus.

Quem enim facere fucum impostores ulli hac ætate possent? aut quæ verba darent? leve quiddam, & exiguum esse, quod innovatum venirent? hæc postremæ ætatis perduellium primordia fuerunt; eundem exitum jure formidarem. Nihil a se nisi religiosum doceri? eadem isti oratione utebantur; a quibus tamen attentata est deinde per religionis exitium patriæ salus, perinde quasi per parentis unius larus, alterius vita pateretur: referri a se sanctissimæ antiquitatis nitorem? aliis essemus ludendi præstigiis: explosum est, in Lutheri Calvinique causa, simulacrum illud inane vetustatis; neque nos fallere larva eadem, aut vanis terroribus commovere posset, quam ridere jam pridem assuevimus. At quod responderent vicissim iidem, cum expostularem de periculis summis, quæ novitate illa sua non religioni tantum, sed etiam patriæ conflarent? quid causaremur: nihil se periculi videre? & nostris, & vicinarum gentium exemplis recentibus convicerentur. Sed non viderent sane; ignorarent, quam molirentur reipublicæ perniciem; tantum mali imprudentes facerent: tamenne minus coercendi viderentur? aut quis amentem idcirco reprimendum non putet, quod nullo suo scelere domum incendat? Nulla fatis tuta res est, ubi sacra periclitantur. Mens est reipublicæ religio; immortalis esse oportet: fundamentum est imperii; concuti sine ruina non potest. Quæ ut regnorum omnium habeantur communia, de nostro certe id tanquam proprium statuamus: cum sit omnium vetustissimum,

num, nullum esse cui novitas videatur infestior; cum religione fundatum sit, sacram in eo doctrinam, sine præsentis ruinæ periculo, mutari non posse.

## EXTEMPORALIS DEFENSIO

Adversus satiram a *Franc. Dumonsier*, eadem die recitatam;

HABITA PARISIIS III. KAL. MAJAS MDCLI.

AB EODEM COSSARTIO.

\* \* \*

PRÆFATIO.

**S**USPECTA causa est, CANDIDE LECTOR, cujus non potest nisi operosius adornari defensio. Ego meam ex tempore propugnavi; non quod mihi, sed quod illi considerem. Quod verò tam subita prodeat, neque diutius prematur, severiore stylo accuranda; non temeritate, fiduciaque ulla mea factum est: sed ut qualis primum est orta, talem hic tibi sine fraude repræsentem. Præstabit enim sinceriores videri, quam adscito artis nostræ mundo fucoque omni, comptiores. Adest certe, qualem recente adhuc & calente memoria, statim atque habita est, quanta potui maxima fide dictavi.

Confluxerunt ut dicentem me audirent multi, qui Cameracensi satiræ interfuerant: horum causa defensio mea non prodit. Cæterorum si quis est, cui declamatio ista imposuerit: hunc spero, ubi nostra legerit, haud difficile dedocendum.

Fece-



*Fecerunt etiam, ut defensionem hanc in lucem exire paterer, academici quidam, eique in ordine suo spectatiffimi: qui vel ipsi per sese, vel per amicos, id a me prope flagitarunt: non, uti jactabatur, hominis istius odio ducti; sed quod hanc Parisiensis academice causam esse, viri rerum suarum intelligentes dicerent. Norunt scilicet, non potuisse Ramum a Francisco Dumonsstier propugnari, quin ab eodem oppugnaretur academia: damnasam ab ea Rami doctrinam, & postulatam judicio fuisse: Joachimum Perionium ex academice quondam decreto adversus eum scripsisse: exstare Petri Gallandii, aliorumque orationes, pro schola Parisiensi, contra novam Petri Rami academiam: indignum esse, adeo transversos agi quosdam, ut arma in sese furiosi convertant.*

*Ceterum primus hic in professorem istum susceptus a me labor est; eritque postremus idem, si se in fundo suo, id est, in jurgiis & maledictis continere deinceps velit. At si lineam hanc transiliat, si controversiam mihi de re ulla moveat, quæ in literis, aut aliqua humanitatis parte versetur; judicium suum his de rebus inepte interponat, quæ tractari liberaliter & honeste possunt: ex ramo uno totius fatum arboris existimet.*

## O R A T I O.

**S**CITUM est Euripideum illud, Auditores, veritatem in simplice neglectoque cultu placere; calumniam, nisi fucata indultrie, magnisque operis & artificii adornata, tanquam e machina prodeat, non placere. Quo minus mirum vobis videbitur, *Francisci Dumonsstier* orationem, quæ perpetuum quoddam calumnie textum est, semestribus elaboratam vigiliis, vix tandem prodiiisse; meam quæ veritati patrocinatur uni, extemporalem, ingenuam, nullis aut ab arte pigmentis, aut a commentatione conqui-

litis

sitis argutiis, vix sumpto ad meditandum spatio, securam exire. Veritati facit injuriam quisquis eam cerussa, fucoque oblinat; non est diuturnis lucubrationibus in lucem eruenda, quæ lux est ipsa per sese: atque ut non diuturnitate temporis, & morosiore cura elaborantur solis radii, sed sponte, momento uno profiliunt, terrasque omnes, quibus sunt infusi, collustrant; sic moras omnes odit, præciditque veritas; erumpit in apertum sine molitione ulla, sine artis apparatu; neque illustrioribus unquam ornamentis instructa est, quam cum propriis unis nativisque resplendet.

Prodeat ergo pura veritas, simplex, sincera, inelaborata; quæ nunquam latere sine injuria, nunquam conspici sine ornamento potest: prodeat, & offusam mendacissima obtrectatione caliginem sua luce dissipet. Postulor falsi, Auditores, & calumnie, sed per calumniam arcessor. Ac vobis velim, arbitris, & disceptatoribus, controversia dirimatur.

Septem fere menses sunt, ex quo ad solemnem scholarum nostrarum instaurationem, publice sum pro mei muneris ratione præfatus. Dixi **ADVERSUS NOVITATEM DOCTRINÆ**, & ita dixi, ut oratio mea clarissimis ordinum omnium viris, qui intererant, si non ab artis concinnitate, argumento certe ipso probaretur. Sed cum feriisset nonnullorum animos, & bilem iis concivisset, qui me partem aliquam religionis petere & insimulare novitatis, temere suspicabantur: cum eos mustitare jam & commoveri audirem; eam ne calumnie pateret, in lucem edidi. Neque tamen calumniam vel sic fugimus; quæ cum valida & robusta est, amat iis in rebus insignis quoddam specimen edere, ad quas ne levissimæ quidem suspiciones adhærescunt. Ecce enim post tantum tempus, tanquam in scenam hodie prodit **Monasteriensis iste, calumniam, calumniam, plenis buc-**

C

cis

cis, contentisque faucibus tragice clamitans: & forte clamitaret etiamnum. Cum enim veterum declamationum, quibus in nos olim debaccatus est, confarinatos pannos omnes in illo cœtu explicet ventiletque; cum ad codicem suum identidem cœspitante memoria confugiat: eo factum est, ut & longior esset, & tardior, molestiorque maledicentia. Venerunt ad me modo viri, qui adfuerunt intelligentissimi; qui partim nausea victi, & fastidio, partim ut ad tempus adessent certa relaturi, affecta jam & tantum non absoluta oratione discesserunt.

Ex iis intellexi, hoc primum a declamatore quam atrociter, tam frigide expostulatum fuisse, me classicum oratione mea cecinisse: nihil illam anhelare nisi eadem & sanguinem: me Bartholomæanam aliam interneccionem adversus Jansenianos moliri: primas seditionis faces iactasse. Quod hominis delirium mirati sunt, qui meminerant nullam orationis meæ literam eo spectare, ne apicem quidem unum in ea rubricatum esse, qui eadem minaretur: statuebantque nihil esse deinceps quod fingi ab eo non posset, qui rem tam absurdam, tam abhorrentem, tam aperte falsam esset impune commentus.

Hinc tamen clamoræ & turbidæ accusationis exordium duxit, eandem nœniam sæpius integravit, lamentabilem in modum quiritans, sive quod theatrialis illa iactatio placuit, sive quod naufragante toties memoria receptus in hunc portum commodus videbatur. Aut certè, cum neque instituti a me, neque suscepti ab eo sermonis argumentum hoc esset: fanaticos illos terrores, quibus se consternatum non dissimulavit, somnium ipsi quoddam, vel propria conscientia fecerat; quæ debitas sibi pœnas, si aliunde defuerint, fabricatur. Panicos illos metus, & lymphaticos pavores secum ipse concoquat: non est meum

eos depellere, quos non incussi: litem hanc sibi ipse movit, eandem secum ipse disceptet: ego orationem meam tueor, non istius conscientiam apud ipsum purgandam suscipio.

Declamationis igitur caput hoc fuit, quo se uno ad dicendum impulsus esse professus est, falso a me accusatum esse Ramum: calumniam meam, in regios professores, quorum ex ordine Petrus Ramus quondam fuit, redundare totam: se vindicem, & propugnatorem ad dicendum surrexisse. Summa hæc criminationis erat. Nam maledicta cætera, & volutatas in triviis conviciorum sordes, aniles de nobis fabulas, cloacam contumeliarum, quales evomeret pannucia Baucis, veluti assumenta quædam attextuit. Hæ sunt hominis elegantia, has sermonis lautitias unas novit: iis horridæ, & incultæ orationis asperitatem putavit suavissime condiendam. Ego vero has illi munditias relinquo: sua sibi maledicta, tanquam in proprio solo, commode fervet. Assuevimus jamdudum ad huiusmodi latratus obsurdescere; quos gloriosum est spernere; vincere, propudiosum. Si suæ tantum obtrectandi libidini contumeliosus clamator indulgisset, dum res stetit intra jurgia, & pingue illud, quod ipsi vernaculum est, maledicendi genus: tacuissent profecto, neque committerem, ut dimicare viderer eo certamine, in quo nulla nisi turpis est & probrosa victoria. Nunc autem, quia præter feces illas sordidæ & illiberalis maledicentia, quæ vernulam magis lixamque decuisset, facti quæstionem quandam & controversiam instituit: causam a conviciis fecernam, quæ res in ejus oratione duæ connexæ & indiscretæ fuerunt: maledicta relinquam, quæ me minime decerent; rem ipsam tractabo, quam a calumnia vindicari, publicæ fidei literarumque interest.

Nego quidquam a me per calumniam, quid-

quam nisi ex pura puraque veritate de Ramo esse dictum: nego regionum professorum ordinem meis de Ramo verbis ulla ex parte esse violatum.

Quid est igitur a me de Petro Ramo dictum, Auditores? hoc primum, turbasse in Parisiensi academia, quæ tota repugnabat: ejus de dialectica doctrinam, Francisci primi literis damnatam ac prohibitam fuisse: ipsi docendi munere interdictum. Hic vero, o calumniatorem, o sycophantam, exclamat Franciscus ille Ramaster. Siccine piis Rami manibus imponitur? ubi astra? ubi literæ? ubi testes? Ubi testes! ubi literæ! Revivisce, revivisce, Francisce Rex; & amplissimum mihi testimonium tuis ipse literis redde. Testem hunc, opinor, Rami patronus non recusabit. Audite igitur regem christianissimum: audite ejus diploma, quod extat ad memoriam eruditorum omnium sempiternam.

*Franciscus Dei gratia Franciæ Rex omnibus hæc lecturis S. Inter varia nostra studia . . . nuper certiores facti de his turbis, quas filia nostræ academici Parisiensi Petrus Ramus dederat. Et turbat Ramus in academia. Deque controversia inter eandem academiam, & Petrum Ramum. En Ramo repugnat academia. Addit Rex delectos esse utrinque judices, peritos viros, qui de Rami doctrina librisque cognoscerent; qui censuerunt Ramum temere, arroganter, & impudenter fecisse, qui receptam apud omnes nationes logicæ artis rationem, quam ipse præsertim non teneret, damnasset, & improbasset. Quid de Ramo deinde dixi? proscripam ejus a Franciscus doctrinam. Id ex Francisci verbis intelligere; pergit enim: Nos vero horum audita sententia, re etiam cum aliis plerisque viris doctissimis, qui apud nos erant, communicata, libros illos duos, animadversionum Aristotelicarum, & dialecticarum institutorum, damnandos censuimus & supprimendos; eosque*

*msup*

*damna-*

*dammamus & supprimimus. Quid superest nisi ut, quod addidi postremum, philosophiæ professionem interdicat? Placet etiam, inquit, posthac Ramo non licere libros illos interpretari. . . . nec dialecticam, aliamve ullam philosophiæ partem ulla ratione profiteri, nisi id a nobis eidem aliquando nominatim fuerit concessum: neve unquam talibus convitiis Aristotelem veteresque scriptores probatos, aut nostram academiam, hujusve alumnos audeat insectari. En mihi Rex dictorum omnium testis ac fundus est.*

Quod si veniam postea Ramus ab Henrico Rege impetravit: si regis professionis munere per Lotharingum Cardinalem donatus est; decebat profecto, ut qui magisterii gradu dejectus ob novitatis studium fuerat, in eo se integræ ac sinceræ professione doctrinæ contineret. Quid autem in omni deinde disciplinarum genere non tentavit? Quid non est de ipsius temeritate a viris eruditis ubique scriptum? Laudant oris dignitatem, facilitatem sermonis, discendi aviditatem, felicitatem memoriæ, ingenii æmulationem & industriam, hoc laudant: sed novitatis studium, turbulentas in omni doctrina scholas, & insolentem disciplinam, hoc conspirantibus sententiis, & prope vocibus, accusant. Auguste Thuanæ, quod tuum de Ramo judicium fuit? a *erroneam in philosophicis doctrinam irrevexit, Aristotelem voce & scriptis importune oppugnans. Quid tibi hominis Ramus videtur, Scævola Sammarthani? B mirum quantos in tota Parisiensi academia tumultus excitavit. Gilberte Genebrarde, quis Ramus fuit? c in linguas, artes, disciplinas, theologiam denique ipsam furiosus. Et expostulabis, quod grammaticæ, quod rethoricæ, quod philosophiæ invertum ordinem ab eo, & vitiatas leges dixerim? Evolve ipsius de grammatica li-*

*bro,*

A *Histor. lib. 52. B Elog. lib. 1. c Chronol. lib. 4.*

bro; quid non abhorrens a communibus institutis & usitata disciplina, non in græcæ tantum latinæque linguæ, sed etiam in gallicæ nostræ rudimentis occurret? Lege scholarum rhetoricarum libros octo-decim; quæ in iis pagina sine Aristotelis, Tullii, Quintiliani probo? & quam vere est a Petro Gallandio dictum, eum *a veterum scriptorum nemini, non Aristoteli, non Quintiliano, non Ciceroni parcere: Euclidis, Galeno, reliquisque primæ notæ fere omnibus auctoribus comminari?*

Restabat ultimus Petro Ramo labor, ut qui nihil in cæteris disciplinis inausum & intentarum reliquerat, in theologiam eadem petulantia grassaretur: theologiam, quæ doctrinarum est apex, vitæ norma, fidei columen, sacrarium religionis: cujus impigisse ad limina, foedius est, quam aliarum disciplinarum penetralia violasse. Ramum ajo Calvinianam hæresim professum fuisse: hoc negas? Immo vero, & calumniam clamas. Huc ergo testes, huc tabulæ.

Fidem ecclesiastica in re quis magno Spondano derogat? *B* Is Petrum Ramum inter Calvinii sectatores, & hæreticæ perfidiæ causa in Bartholomæana cæde interemptos numerat. Ac postquam Calvinianorum procerum necem descripsit: *Inter literatos, inquit, eadem fuligine tinctus Petrus Ramus.... homo turbulenta vitæ, cujus hoc præcipuum fuit studium, ut hæresim suis facultatibus juvaret; & scholasticos non tam imbueret literis, quam inficeret hæresi. Quid? non est idonea testis unius fides? Accedat ergo alter, testimoniumque dicat Genebrardus, theologus quondam Parisiensis, divinarum hebraicarumque literarum regius professor, & Aquensis demum archiepiscopus. c* Hic dum eandem Calvinianorum cædem

*A* Epist. ad Cardinal. Lotharing. *B* ad an. 1572.  
*c* Lib. 4. cronolog.

commemorat: *Postero, inquit, die, de aliis pœna sumpta. Inter eos Petrus Ramus Veromanduus, turbulenta vitæ: & sui in linguas, artes, disciplinas, theologiam denique ipsam, furoris supplicium dedit.*

Quid ais? Rami discipule, Rami patrone. Jamne calumniatus sum? Si ita est, ante me Genebrardus, ante me Spondanus calumniatus est. Vadare ad tribunal tuum; par istud præfatum, illos historiarum principes, illa ecclesiæ lumina; priorum duces interpretesque temporum; suorum magistros; oracula, & exempla consequentium: horum de crimine cum cognoveris, meo me convinces. Immo quamvis calumniati isti fuissent, tamen ex quo tantæ sunt apud pios eruditosque omnes auctoritates; nulla in me calumniæ redundaret invidia, qui nihil essem nisi publica ex fide locutus. Teneris ergo calumniæ artifex, convictus es: faterè jam falsum a te mihi crimen objectum; & tam nullo consilio, ut quibus verbis calumniæ mihi dicam impingis, iisdem ipse calumniator manifestarius tenearis. Sed quis ais? quid statuis? calumniator est Genebrardus? atqui professor erat regius: violas ordinem tuum, dum hæc labe Genebrardum commaculas. Nihil affinxit? profligata ergo Rami causa est: ego te calumniæ convictum teneo. Quo te veritas his undique laqueis irretitus? Cur ego te dicturum professus es *adversus novitatem calumniæ?* Hic enim calumnia, vel nulla, vel vetusta est: a Genebrardo scilicet profecta, qui eadem qua Ramus ætate vixit. Hoc nimirum erat: aut persuaseras tibi per summam inscitiam, aut persuadere nobis per summam nequitiam volebas, a nomine Perrum Ramum esse, ante me nisi honoris causa nominatum; non fuisse in Bartholomæana cæde, hoc nomine obruncatum, quod Calvinii de grege pecus esset; non esse præcipitem e fenestris actum

actum, rapratum per vias, in Sequanam projectum.

At Carpentarii hoitis infensissimi invidia id factum est. Esto: an ideo minus erat nocens, quia ejus crimen adversarius prodidit? scio id vulgo jactari, aliquos etiam infontes, in illa internecione, adversariis religionis nomen falso causantibus maculatos esse: sed qui manifesto Calvinianæ perfidiæ crimine tenebatur; hunc, quamvis id agente inimico, quamvis percussore redimente, infontem maculatum non esse, hoc scio.

Vide autem, quam æquitate causæ meæ confidam. Volo hæc testimonia tam luculenta, tam gravia, tam certa; infirma tamen, & levia videantur: volo prope irrita, volo nulla. Profecta sint inimicis: minus sint accurata, quæ in vasto illo annalium, rerum omnium, omnium temporum oceano promiscue descripta sunt. En peculiarem historiam profero, vitam Petri Rami, conscriptam a Theophilo Banosio, qui familiaris ipsi atque intimus erat, libris ejusdem Rami de Christiana religione præfixam, Domesticum illud testimonium est, minimeque suspectum. Quod enim ambigere de eo Ramaster ille visus est, quod ignotum hominis nomen esse dixit: cui demum probandas tam infelicis criticæ cavillationes putat? Frigidum illud & ineptum exceptionis genus est, quod a nemine antea cogitarum, ad rem tuam, desperata causa, putide confictum est. Sed unde notus Banosius? ex libello suo notus. Quam multi sunt, quorum nulla ad nos nisi ex libris suis notitia pervenit? Quam multi, quorum nullum extat nisi exiguum & tenue opusculum, & hoc Banosiano minutius? Exerce criticam eandem in Genebrardi chronologiam & Spondani annales: dic supposititia hæc opera esse, quia contra rem tuam veniunt: dic spurios esse libros omnes, qui Perrum Ramum apprime catholicum non faciunt. Si unus hoc scripsisset Ba-

set Banosius, esset forte cur merito de illius fide dubitares. Nunc vero conspirasse ipsum, & conjurasse furtim cum tot catholicis, tot hæreticis auctoribus, quos jam protuli, quos modo appellabo; ut Ramum ad Calvinianum hœdile invidiæ causa transferat: cui tandem hoc sobrio persuadebis?

Ecce igitur in Petri Rami vita Banosius: *Ramus inquit, observantissimus fuit pontificiæ religionis, in qua primum educatus fuit: sed cum ex sacris literis veterum cultum Dei deprehendit, cepit pedetentim a tenebris papatus descere, Christianæ religionis solem assiduis precibus & votis exoptans . . . . Hujus zelo inflammatus, publica concione Parisiensis scholæ monachos graviter admonuit, ut puriorem theologiam ex evangelio, relictis sophistarum lacunis discerent. Idola gymnasiæ Prælei amoveri, & recondi jussit, ne conspicerentur. Missæ autem rarè intererat (nondum Calvinianæ fidei confessionem ediderat, quam anno tantum 1570. est amplexus.) Interrogatus vero hac de re a viro gravissimo, strenue respondit: e toto veteri novoque testamento nihil quicquam a novis christianis magis depravatum & corruptum esse, quam secundum mandatum legis, & cœnæ sacramentum; ut homo in utraque per speciem religionis in execrabilem idololatriam laboretur. O flagitia! o sacrilegia! Potuitne quidquam de Calvino ipso loqui & explicare disertius? sed levia tamen sunt ista, præ hoc uno, quod causam omnem continet: Ecce ad libri marginem: *Ramus cœnam Domini Heydelbergæ primum celebrat. In contextu vero: Cum Heydelbergæ una abud D Immanuel Tremellium anno septuagesimo viveremus, Gallicis concionibus semper interfuit; & sacræ cœnæ, edita primum fidei suæ confessione, cum magno Dei timore & cultus divini reverentia, non semel communicavit. Testis oculus loquitur.**

Si tamen ridiculus ille de Banosii nomine scrupulus

pulus adhuc te vexat: age, testimonium ejus expunge, per me licet: sit auctoritatis apud te fideique nullius. Quid de Nicolao Nancelio dices? An ignorum viri nomen? an obscura opera? Is, qui Rami discipulus, Rami familiaris, amanuentis, atque ut ipse profitetur, per annos prope viginti contubernalis fuerat, in Petri Rami vita, quam scripsit ipse, & Rami discipulis dicavit: *Cum Galliam, inquit, universam duas potissimum in partes de religione, opinionibus divisam variis, ac distractam cerneret: ea posthabita, quam per reliquam vitam secutus erat, alteram arripuit & mordicus tenuit: quæ sui sibi fatis, ut propinqui, sit miserabilis, & horrendi, intra paucos annos causam & necessitatem attulit.* Omitto quæ de fractis imaginibus, & ejusdemmodi aliis, Nancelius in eodem opere commemorat.

Sed quia Calvinianorum potissimum est suos dignoscere: age, illius gentis proceres consulamus: vultis Theodorum Bezam, illius sectæ column alterum Calvinoque auctoritate supparem? Profitetur hic postulasse Ramum, ut docendi sibi locus aliquis professionisque munus, in Genevensi collegio concederetur. **A** Negat satis ipsius postulatis fieri posse idque suis ad Ramum ipsum literis negat, eodem datis anno, quo Calvinianam iste professionem ediderat. Vultis ex Calvinianorum martyrum historia sciscitari? **B** Hæc inter pugiles suos in *Parisiensi fidelium persecutione* cæsos, Petrum Ramum annumerat. Vultis confectos ab iis c. Bartholomæanæ cædis commentarios adeamus? Illic Ramum eundem inter suos religionis causa mactatos collocant; cum deinde peculiari loco catholicos enumerent, quos per errorem tanta in strage torrens idem involutos abripuit. Vultis acta evolva-

**A** Beza epist. 36.

**B** Edita ann. 1582.

**C** *Memoires de l'Etat de France sous Charles IX.*

mus cætera, in quibus illas suorum cædes, tanquam veterum Christiani nominis tyrannorum carnificinas, describunt? ubique Petrus Ramus huic albo adscriptus occurret. Ecce dum suum numerant pecus, dum eorum recensionem instituunt, qui professioni suæ nomen dederant, quorum descriptio tam accurata, tam sedulo perfectus index, initusque numerus, in publicis servabatur tabulis, Ramum omnes gregalem suum agnoscunt: Calvinianæ militiæ sacramento secum obstrictum, auctoratumque profitentur.

Hæc autem quamvis certa, & indubitata, testimonia tamen sunt, Auditores: testimonio majus quiddam, & gravius affero. Ipsum, quod superest, Ramum audite, loquentem etiamnum in libris quatuor *commentariorum de Christiana religione*: quibus Calvini virus omne non furtim tegitur, sed quasi explicatur ad pompam, & ambitiose ostentatur.

Sed hic nimirum rursus postulor injuriarum, qui libros illos flagitiosa novitate infames, & a Ramo conscriptos affirmaverim. Hic rursus criticum hominis acumen triumphat; qui non aliam ob causam hos a Ramo commentarios abjudicat, quam quia susceptæ causæ incommodant: eum ferme ad modum qui hæreticis nostris, professis illis, neque sectam suam dissimulantibus hæreticis, solennis est, ut quos e sacris libris adversari sibi intellexerunt, hos continuo negent divinitus acceptos esse, clamantque sacrosancto canone, ne sibi noceant, expungendos. Libri, quos Petro Ramo hucusque omnes adscripserant, quos sub ejus nomine semper editos scimus, reclamante nemine, nemine dubitante, hodie Rami desinent esse, quia judicio suo, sic tanquam prætoris interdicto, Ramaster quidam ita sanxit? Bibliothecas Simlerus, & Draudius ediderunt, hoc est indices auctorum librorumque omnium, qui à primis retro

æculis ad ætatem usque suam pervenerant : hos de *Christiana religione* libros an non Ramo uterque attribuit ? A Enumerat Boissardus Rami opera omnia : num hujus est ab eo prætermissa mentio ? Quid tu igitur ex direpta ejus bibliotheca perperam arguaris ? perinde quasi recuperari nihil ex naufragio , & in amicorum manus redire potuerit : quod feliciter factum esse Banosius & Boissardus gratulantur . At editi sunt post ejus obitum hi libri . Vide ne de Jansenii Augustino, quod posthumum iridem est opus, eodem jure ambigere videaris . Quid deinde superest ? Hebraica sunt, inquis, in his commentariis vocabula quædam : cum tamen Hebraice Ramus nesciret . Sed hoc suspicaris : cum hebraice nesciisse . Quid si ego contra suspicer, extremò vitæ tempore aliquid ab eo de hujus linguæ cognitione delibatum, qui hospite Immanuele Tremellio in Germania uteretur, viro Hebraicarum literarum illa ætate scientissimo ? Sed nostris uterque divinationibus conjecturisque parcamus : Hebraice ille nescierit . Fecit, quod scriptoribus, oratoribusque quotidianum est : ut si qua vocabula repererint Hebraicæ Græcæve linguæ, in quibus vis quædam ad significandum major, aut uberior pleniorque sit ; quamvis imperiti sint hujusmodi linguarum, iis tamen vocibus, quas sunt tanquam ex aliena supellectile mutuati, perinde arque propriis opibus uti non dubitent . Quid est igitur, quod argutus iste librorum censor tam inanibus de causis judicium illud suum de hoc opere tam præfracte tulerit ? cujus auctor, quamvis non esset ejus nomen inscriptum, satis tamen ex ipso stylo, & liberis in Aristotelem excursionibus Ramus proderetur ; & vel si deessent cætera, hoc tamen agnosceretur uno, quod lectorem ad B *scholas suas phisicas & metaphisicas* remittat,

A *Iconum to. 2.* B *Commens. de relig. Christ. l. 1. c. 7.*

quæ Rami opera esse, professor, eredo, non inficiabitur . Sed piget profecto tantum temporis in tam futilibus nugis perdere, quas jactare tam insolenter quid aliud est, quam literis omnibus illudere ?

In commentariis illis suis quem se Ramus tuus profiteatur, hic demum Ramuscule, post tam infelicem velitationem intellige : Vide, ut qui Genevæ pestiferæ doctrinæ magisterium affectaverat, Genevensem theologiam in libris suis pestilens professor, tot jam annis doceat .

Perre Rame, quot sacramenta sunt ? A *Duo tantum sunt, baptisnus, & cœna . . . & Christi auctoritas hic satis est, duo tantum sacramenta in evangelio constituentis.* Quid de poenitentia & confessione censes ? B *Hæc confessio facta Deo, vere Christiana est . . . hæc confessio non est malefacti in aurem sacerdotis expositio.* Quid de Eucharistiæ sacramento ? C *Totis capitibus duodecim mera de hoc mysterio flagitia profert : carnalem præsentiam refutandam septem capitibus suscipit . De Missa Pontificia caput inscribit unum, cujus sacrilegia omnia recitanti mihi, audientibus vobis terrorem incutient . D Christus, inquit, sanctitas ipsa sanctitatum ( summum pontificem illudit ) cœnam instituit : Apostoli & eorum discipuli, papæ parum, sancti sanctorum, cœnam celebrarunt, papalem missam nesciunt . Quo nomine nostram in augustissimum sacramentum reverentiam, & religionem appellat ? E *Missæ pontificiæ idololatriam : pontificios chorephagos .* Quid de imaginum cultu censet ? F *Multis demonstrare contendit meram idololatriam esse .* Quid de G *justificatione per fidem, deque aliis Calvini scitis, & Genevensibus oraculis commemorem ?**

Ad tot

A *Lib. 4. c. 4.* B *Lib. 3. c. 8.* C *Lib. 4.* D *Lib. 4. c. 7.*  
E *Lib. 4. c. 18.* F *Lib. 2. c. 4.* G *Lib. 2. c. 1.*

Ad tot portenta cohorrescit animus, Auditores: video commotos vestros omnium sensus, auribus ipsis hæc monstra respuere. Et erit tamen, qui ea deosculetur? Et quia hæc non veneramur, sycophantæ dicendi fumus? Calumniator sum: quid ita? quia Rami flagitia, quia Calvini sacrilegia non amplector. Jam compella Ramum tuum sanctissimis nominibus, pium, religiosumque sæpius in clama. Hæcine igitur tua pietas est? hæc tua religio? hanc tu profiteberis? ad hanc discipulos tuos erudies? Nam tui certe muneris est, quam pietatem plurimi facis, eam auditoribus tuis commendare. An eos ad Rameam illam instruites? illam, quam tam proluxis laudibus, tam amplis præconiis ad cælum extulisti? hanc si probas, cur non profitearis, doceasque? si abhorres, cur tantopere laudasti? Expectamus, catholice professor, quid de Calvino sentias; cuius doctrina quid immanius in omni sua professione continet, quam quod illa Rami pia, & sancta mens amplexa est? Qui Calvinianum illud ramale tanto studio protegit, tam sancte veneratur, cui *Oratio adversus doctrinæ novitatem* dicta, unguis fuit in ulcere; qui ea se petitum percussumque declarat: is, si qui larvati Calviniani essent, nomine merito eorum aræ accensendus videretur? Cur Ramum tueris? an quia Calvinianus est? Cur novitatis patrocinium suscipis? an quia Calviniana est? Tecum hoc ipse statue.

Interim quanquam afflictum jam & profligatum est numen illud tuum, Francisce Ramaster: tamen quia vix unquam se victam fatetur quorundam hominum procacitas; decretoria tandem est proferenda sententia. Eritne autem post tormenta illa, quibus eversa calumnia est, gravius aliquid, quod reperiri possit? Erit, Auditores, erit. Cogita, Francisce, quidquid causæ tuæ infestissimum esse potest:

potest: vincam tamen ipsa rei magnitudine cogitationes tuas. Quid? telum expectas? fulmen jaculabor. Superfedendum cæteris testimoniis erat, Auditores, ut hoc, quod superest, uno res tota conficeretur. Cætera per me licet recordatione vestra excidant: id modo memineritis unum, Petri Rami nomen ad Tridentini concilii calcem, in auctorum prohibitorum indice reperiri. Cujus indicis quanti facienda sit auctoritas, & quam non levibus conjecturis, humanisque judiciis parvipendenda, satis intelligit, qui eum novit Tridentini primum concilii decreto factum; deinde a Sixto V. & Clemente VIII pontificibus, per eruditissimos sapientissimosque viros, quibus hæc mandata cura fuerat, auctum esse. Quem vero in eo locum Ramus obtinet? in prima classe, inter eos scriptores, quorum non liber tantum aliquis, sed nomen ipsum hæresis causa proscripsum est: inter omnium auctores ipsos & parentes hæresum; eadem in tribu, in qua Lutherus Calvinusque censentur.

Hic vero vestram, Auditores, fidem obsecro: adeone quenquam esse naviter impudentem, ut cum hæc sciret, Ramum tamen tueri, ejus commendare pietatem, religionem prædicare sit ausus? adeone stolidum, ut si ignoravit, libros non adiret, peritos non consulere ea de re, de qua sibi dicendum intelligebat? Nesciebam. In hoc professionis regię gradu? in tanta librorum multitudine? tanto eruditorum, quibus cum versari potes, numero? tam recentiarum rerum memoria, quas ex antiquioribus sæpe audire potuisti? Audieram, an tu igitur inter eos nomen profiteris, qui Romanorum pontificum auctoritatem, (quorum jussu, Tridentino indici, Petri Rami nomen adjectum est:) qui Tridentinam ipsam synodum sacrilege cavillantur? Nesciebas? stoliditatis est, de re, quam ignores dicere. Sciebas? impietatis est,



tis est, prædicare flagitia, sacrilegia consecrare. Calumniæ fuit, calumniæ me arcessere: calumniatorem eum pleno ore, & tragicis clamoribus vocitare, qui nihil nisi publicis monumentis consignatum, nisi publica ex fide, & ipso ex veritatis sinu gremioque protulerat: quique pauciora multo de Rami nequitia dixerat, quam quæ produci vere potuissent.

Hic mihi tu frigidæ illas, & derisivas argumentationes inculca: eas virorum eruditorum testimoniis, catholicorum annalibus, hæreticorum commentariis, ipsius Rami confessioni, Tridentino denique indici oppone. Dic electum ab Henrico secundo regium professorem: dic a Lotharingo Cardinali, ab Audomaro Talæo, a viris integerrimis amatum: dic mathematicam ab eo professionem constitutam de suo, & idoneis retributibus dotatam: ejus testamentum quam poteris clamorissime recita. His subjectam intercalarem illam laciniam flebiliter decanta: *& erit hæreticus Ramus? & erit perduellis Ramus?* Scilicet Calvinianam hæresim non est anno sæculi sui septuagesimo professus; quia quinquagesimo primo regis ornatus beneficiis fuerat? Non transit in Calvini castra, annis ante obitum duobus; quia in oprimi Cardinalis gratiam ante annos viginti fuerat admissus? eum purgat ab hujus suspitione sceleris, magni Talæi amicitia; qui tanto aniequam esset admissum, fuerat summo academiæ desiderio, immatura morte præreptus? Non est cum perduellis cæsus; quia cum probis aliquandiu vixerat? Genevæ docendi munus non ambiit; quia Lutheriæ mathematicam professionem prius instituerat? pia & catholica morte perfunctus est; quia testamentum conscripserat, annis ante obitum quatuor; quo testamento quingentas in stipendium mathematici professoris annuas libellas legat, centenas avunculo suo, fororis filio centenas; atque id genus alia;

quæ

quæ quis honestiorum hominum & minime projectorum, Genevæ non faciat?

Hæc scilicet Rameæ causæ firmamenta, & præsidia sunt: hæc fulguritum hominem expiant, convincunt annalium fidem, sacris ipsis oraculis silentium imperant. Quid ais, bonarum partium patrone? Idonea scilicet erat hæc causa, in qua te tam ambitiose jaçtares? idonea illa religio, cui defendendæ, cui prædicandæ tantum tempus impenderes? Quæ certe oratione fiet, ut laudes tuas deinceps boni omnes in opprobriorum loco numeraturi sint; qua factum est, ut gloriosum mihi duxerim, eodem ore, me maledictis, Calvinianam pestem laudibus onerari. Quanti redeptum voles, nunquam pro Ramo dixisse! quam altis tenebris semestrem illum partum damnatum cupies! Sed quid agas? jaçta est alea. Quod superest, hoc in posterum cave, ut sis, & in diligendis causis prudentior, & pudentior in tractandis.

Verum quia non Rami unius, sed ordinis sui causam agere se professus est orator: quia per Rami latus professores a me cæteros peti, & ex unius probro, factam universis contumeliam professus est: faciam, ut intelligatis deinceps, non minus hebetem eum in defendendo professorum ordine, quam in vindicando Ramo fuisse. Equidem sum hominis judicium miratus, qui causas simul duas agendas suscipit: quarum altera pejor erat, quam ut defendi posset; altera melior, quam ut defendi deberet. Nam & turpior est Ramus, quam ut vir ei probus faveat; & integrior est atque laudatior regionum professorum ordo, quam ut defensione indigeat. Cedo enim, a quo & qua tandem injuria est ordo ille violatus? Ramum, inquit, dum notasti; universus a te ordo eadem macula notatus est. Novum crimen, Auditores; nova & insolens, & a nemine præterquam a professore isto

D

lata

lata lex: ut si cuius est publicum manifestumque scelus, & monumentis omnibus contestatum; commemorari a quoquam, citra ordinis cui quondam addictus ille fuerat, dedecus non possit. Quod si ita est: quæ tandem usurpari verbis, & in exemplum adduci flagitia poterunt? Cum enim scelerum auctores omnium, aut in ordine aliquo & sodalitate vixerint; aut cognationis, quod arctius est vinculum, & affinitatis necessitudine quadam cum aliis sint nexuque conjuncti: erunt semper, qui lætos se ac violatos expostulent, si qua crimina, & dedecora sermone perstringantur. Quo quid dici & a ratione abhorrentius, & utilitati vitæ, conformandisque hominum moribus magis contrarium infestumque possit?

An lætos se Augustiniani patres expostulant, cum hæreticus, cum scopulus religionis, cum ecclesiæ perniciës Lutherus appellatur? An conquestus est unquam Noviodunensis clerus, cum Joannem Calvinum, desertorem Christianæ religionis, prædonem sacrorum, Europæ procellam ac turbinem appellari audit? An factam sibi injuriam clamat illustrissimus Episcoporum ordo; cum Jacobus Spifamius, cum Andreas Dudirius, cum Antonius Dedominis, inter hostes Christiani nominis, & perfidos ab ecclesiæ signis transfugas numerantur? An indignatur eminentissimus cardinalium senatus, cum Odonem Castilionæum audit Calvinianis partibus studuisse? Nullus antehac ex iis ordinibus commemorari suorum malefacta vetuit; neque, si qua iis labe inhæserat, ea se putat aspersum, dum quotidianis sermonibus renarratur.

Publici juris exempla ista sunt: prostant erudendæ posteritati: periit ordini suo eorum honos, cum iis ipsis per scelera sua periit. Non jam ex collegio vel sodalitate ulla, sed ex annalium gente sunt. Jus habet

in eos suum historia: eosque nobis ad præceptionum, ad tragediarum, ad sermonum omnium argumenta commodat. Unus legitimam hanc possessionem, analibus, historiis, memoriæ nostræ præcipere tentat hodiernus orator; & quia togæ suæ umbra Petrum Ramum protegit, tutiorem vult esse, quam si antistitum infulis, Romanorumque procerum purpura tegetetur.

An certe quidquid usquam est cordatorum hominum, hoc impensius solet improbitatem aliquam damnare & abominari flagitia, cum ab uno quopiam ex ordine aut collegio suo profecta sunt. Quo videtur labe illa propior, atque conjunctior, hoc eam vehementius refugiunt, & asperantur; ne qua possunt suspitione communionis afflari; atque ut de univèrsi sanitate corporis & integritate constet, si quod in eo putridum infestumque membrum fuerit, longe a se causaque sua disjungunt. Tu perditii hominis causam cum ordinis tui causa implicatam vis esse: & qui ab illa societate, omnique honoris commercio, flagitiis suis avulsus est; hunc quasi postliminio revocatum, eandem rursus in sodalitatem intrudis, quæ nisi funestari ab illo non potest. Professorum ordinem violavi: quid ita? quia, si superis placet, Ramum, Ramum esse dixi. Ego vero tuis a te factam injuriam contendo, dum ejus suscepto patrocínio te ordinis tui vindicem professus es.

Nam si quis fuisset in illo coetu tam peregrinus, qui te probum, & sincerum oratorem putasset, non calumniatorem professum, non famosissimæ maledictiæ declamatorem; is cum te dicentem audisset, quid existimasset aliud, quam te collegarum tuorum nomine Ramo patrocinari, ordinem tuum Ramo universum fovere? Hanc iis notam, si non esset eorum perspecta integritas & innocentia, inurebas. Eos

accusabas, dum hanc eorum defensionem institueres, ipsis se adversus calumniam tuam una probitatis suæ fama defendebant. Quid est quod ut Rami causam adjuves, partem in eos invidiæ atque offensionis exoneras? Norant hominis mores; doctrinam norant; deprecabantur communionem nominis atque famæ: tu eorum famam cum Rami honore atque nomine vis esse conjunctam; perinde quasi nihil habeant per sese veræ & sinceræ laudis, nisi ementitam & adulterinam, ex falsâ personati Rami probitate mutuentur.

Hoc iterum atque iterum assevero. Nemo majorem ordini tuo maculam inussit, quam quæ hodie oratione tua illata est. Tu collegas tuos, viros integerrimos, quorum par est doctrinæ pietatisque laus; Rameæ doctrinæ fautores facias? Dic eos Lutherò, dic Calvino, dic cæteris hæretici nominis doctoribus suffragari: quid fœdus in eos confinges, quam cum huic Calviniano nepoti studere, hujus fovere doctrinam, persuadere conatus es?

At eorum interest, Rami collegæ quondam sui honorem, per fas, per nefas tueri; Professor regius, opinor, Carpentarius erat, quo quem hostem Ramus capitaliorem habuit? Extant plena vehementissimis in Ramum orationibus ejus volumina, quibus perniciosam illius doctrinam exagitat: ratus sui, collegarumque honoris interesse, ne tam exitalibus doctrinis favere censerentur. Professor item regius Genebrardus fuit, quo viro quid varietate doctrinæ instructius? quid vitæ sanctimonia probatius fuit? Quod de Rami doctrina judicium tulerit, audistis. Quid autem agebat Genebrardus? quid cogitabat? sic ordinis sui honori professor regius consulebat? Suorumque honori bene consultum vir sapientissimus duxit, si omnem a sodalitate sua erroris & nequitie suspicionem removeret; Theologus enim, & Parisien-

ensis theologus Genebrardus fuit: qua in facultate quod nullum sit gradum adeptus, artiumque magisterio contentus sit noster ille Rami defensor, qui tamen inhiat ad honores illos academicos, satis hoc prodit indicio, quam sit theologiarum literarum expertus; & quanto æquius in Genebrardi judicio, quam in suo, acquiescere de Petri Rami theologia debeat. Cui viro si maledixeris Franciscæ, quod tam severo judicio Ramum affligat: erit hoc scilicet ordini tuo gloriosum, te professorum regionum alteri favere, quia Calvinianus fuit; alteri, quia est eximie catholicus, adversari. Eo patrocinium tuum recidet, ut ordinem tuum, dum his defendis artibus, crimineris.

Vide autem quam infelix patronus hodie fueris, non tantum in illa ordinis tui causa, sed etiam in tota declamatione; qua lites plurimas magnus ardore turbulenter movisti; omnes, dum adversus teipsum agis, amisti. Nam ut specimen tibi aliquod tuarum in te incurSIONUM exhibeam; pro Parisienſi academia, multa, ut mihi quidem relatum est dixisti: quo consilio? nonne videbas te pro adversario ipsius Ramo dicere? Ramum defendis? contra academiam facis. Academiam tueris? adversaris Ramo: ejus doctrinam damnas? mihi allaboras. Quo te vertas? qui stupor ille tuus, qui furor est? quæ unquam oratio vehementius secum ipsa conflixit? Age vero, pro Jansenianis an commodius dixisti, & felicius? quorum hominum causam quod tueri te professus es, quis valde miretur quando Calvinianam defendisti? sed hoc miror, plus ei te defensione tua, quam omnes antehac adversarios, omni virtute atque industria, nocuisse. Nam quæ tanta tua vel perfidia, vel inconsiderantia fuit, ut quod ad hanc diem illi tacuerant, quod si objectum ab inimico fuisset acerrime refutassent, id publice prostereris; eos oratione illa, quam adversus

*doctrina novitatem* habui, offensos; ea se petitos arbitrari. Quæ de novarum contumacia & perduellione sectarum, de Calvinianæ factionis primordiis, de purioris theologiæ & vitæ sanctioris eminentia professione, de clandestinis conventibus, de conjurationibus in rempublicam, de civilium bellorum facibus a me dicta sunt; iis se designari quisquam, nisi male sibi conficius, crederet? sive autem eorum effers arcana, sive falsa quædam comminisceris: vide, quam tua sit in eos injuriosa declamatio, & quam subita conversione accusator ex patrono sis factus. Sua ipsi exprobantur crimina, quoties Calviniana narrantur? minatur iis supplicia, quisquis petitas ab hæreticis pœnas commemorat? Quis hoc ante te dixerat? quis tantum de illa hominum gente suspicabatur, quantum tu fateris, non adactus, non impulsus, ne rogatus quidem; sed voluntarius, an testis? an delator? Est autem, cur vobis ab eo timeatis, Auditores, qui se doctrinæ istius fautorem tam audacter, & inverecunde professus est. Ego si quando, hominis alicujus orationibus interesset, qui Calvinianæ causæ patronus fuisset, quem pupugisset *oratio adversus doctrinam novitatem* habita; id caverem, primum & ante omnia unum caverem; ne suis ille sermonibus vel ex Calvino vel simili quodam ex fronte, aliquid pestiferæ novitatis aspergeret.

Id enim profecto, id oratione sua querebat, ut factum novitati convicium ulcisceretur: id deinde alterum; ut fœtum maledictis stomachum in eos effunderet. Rami causa, non propositum, sed occasio fuit. Aditum hunc sibi patere commodum duxit ad calamitandum liberius, & in omni probrorum genere bacchandum. Quid enim maledicentiæ (vos, qui aderatis, testor) prætermisit? Quæ infarta non sunt, & intrusa mendacia, antiqua, recentia, sua, aliena; omnia effudit. Tanti erat, dum publicam illam maledi-

ledicendi professionem exerceret. Sed erant illa viri minime mali mendacia; adeo stolidè mentiebatur, ut mirum sit, qui tandiu se in arte illa exercuit, tam parum profecisse. Quæ quidem omnia retexere, neque fas in tanta multitudine, neque porro necesse est; cum ipsa sua inanitate vanescant. Humiliora sunt quædam & indigna gravitate orationis: turpiora nonnulla, & molesta verecundis auribus, quæ tamen ipse quam finxit turpiter, tam parum prudenter in honestorum hominum coetu explicuit.

Vide autem, Francisce, quanto æquiores in te humanioresque simus. De te moribusque tuis multa nobis, ut minimum dicam, parum commoda, narrata sunt: nunquam vulgavimus. Multis ex academia sodalibus tuis invisum te indoles ista reddit, de qua in præfenti nihil exprobro. Lenimus illas odiorum asperitates, suademus ut si quid in te importunius est, placide ferant. Vitæ tuæ acta subministrant nobis alii: sperabant ad ignominiam tuam edenda: non facimus. Hodie te dicentem discipuli nostri riserunt. Veniebant ad me identidem, certis quibusdam intervallis temporum, qui de oratione tua renuntiarent: aiebantque minime politam esse; minime latinam: incondite atque temere nullis grammaticæ, nullis rhetoricæ legibus ferri; nullo vocum delectu, nulla concinnitate numerorum; modo nimium abjectam, modo plus æquo tumentem, ubique laciniosam; hoc ad nos pueri ipsi referebant: eos ego voce una compescebam: professor est regius. Quid aliud amici in causa fieri a nobis dicique potuisset? Quam hoc iniquum est, dum honori tuo tam studiose consulumus, te in nostrum hostiliter incurrere!

At nobis, nominique nostro si parcendum non duxisti; tibi certe parcere ipse debueras. Quem puras esse hominum sensum, dum te convicia tererrimis

faucibus in nos evomentem audiunt? Quid te affectu qui declamatione tua putas? ut exclament? o sceleratos Jesuitas! Tuæ sunt vel ineptiores, vel atrociores calumniæ. Hic, si nescis, illorum sensus, hæc verba sunt: o sæcem! o fordes! o maledicum! o ingratum! qui eos a quibus est olim, in humiliore fortuna, beneficiis affectus, tam indignè adhibet. Observant nunquam esse, in academica ulla concione, ab ullo qui liberaliter educatus esset, nunquam nisi ab hominibus vilissimis, & honestatis omnis expertibus, contumeliosum illud in nos dicendi genus usurpatum. Quod dum a te frequentatum vident, cogita quæ de te judicia sint, quæ nomini tuo labes adhærescat.

Vide quis, Francisce: non jam es ex illo grege renuorum hominum, cui jus est quoddam in omnia securarum, & balatronum convicia, & furere impune obrectando licet: conditionem olim tuam ista fortasse decuissent. Nunc vero, cum regius Professor, cum vir spectabilis factus es: cur non totus elegans evadis? totus honestus? totus alius, atque olim fuisti? Cur illam maledictorum sæcem ex vetere tua supellectile servasti? Spes est autem, spes est, Auditores, brevi excutiendum ab eo quidquid ex primis illis moribus concretum adhuc inolitumque superest. Et in dies certe sit elegantior: mitigatur sensum, & expolitur hominis ingenium: dediscit vernilem illam licentiam. Dediscit, inquam; nam qui nuper inter altaria, dum esset Rector amplissimus, nulli convicio parcebat; rabiosum eum hodie oportebat in auditorio suo videri, nisi ponere aliquid de pristina indole cœpisset: hoc autem audio atrociorum eum illic non fuisse, quam inter aras fuerat. Pars hæc humanitatis est, non fuisse inhumaniorum.

Ex quo fructum hunc hodie cœpit, quod temperaverim ipse mihi, & remisit eum eo leniterque

agendum statuerim. Audistis, quam non iracunda, quam placabilis, quam benigna oratio mea fuerit. Et vereor quidem, ne in illa Calvinianæ doctrinæ causa, quam vehementius solent moderatissimi quique tractare, mollior ergo, indulgentiorque sim visus. Sed nimirum lenitate videri malim, quam asperitate peccasse.

#### AD FRANCISCUM DUMONSTIER.

**O** Rationem tuam, ut audio, recognoscis impigre; & ut in lucem ornatioꝝ prodeat, diurnis nocturnisque laboribus expolis: cupide illam expecto. Eam a maledictis insignioribus, amicorum hortatu, repurgas: in antecessum gratulor. De Rami vita, quod ante factum oportuerat, consuluntur antiquarii; omnes bibliothecarum foruli vestigantur: diligentiam hanc, quamvis sera est, laudo. Unum, quo tuis amicorumque laboribus parcas, moneo; ne insudes iis corrogandis testimoniis, quibus doceas, catholicum aliquando Ramum fuisse; hoc enim non ambigimus: sed ea conquiras una, quæ talem eum convincat fuisse post annum superioris sæculi septuagesimum; quo tantum anno calvinianam professionem edidit. Luculentorum hujusmodi testimoniorum segetem ubi reperis, Romam mitte: ut eorum ex fide Tridentinis index emendetur. Vale.



## DE ARTE PARANDÆ FAMÆ

## ORATIO

HABITA ROTOMAGI VIII. ID. DECEMBER.  
ANN. MDCLXII.

A JOANNE COMMIRIO.

**E**T si semper opinatus sum, illustrissime Ecclesie princeps, illustrissimi præsides, amplissimi senatores, ceterique auditores ornatissimi, famam admirationemque popularem, & negligi tutius & contemni præclarius, quam optari a sapiente: tamen nullo modo iis assentire posse videor, qui ut omnem voluptatem interdictam Christianis volunt, ita nomen quoque laudis ac gloriæ respuunt auribus, remque ipsam sic tanquam grave scelus averfantur. Quasi scelus esse queat in eo ullum, quod & ad morum honestatem Deus commendat, & natura desiderat ad solatium vitæ, & præscribit ratio ad legum, officiorumque custodiam, & virtus denique civilis ut præmium laborum mercedemque proponit! est enim profecto ut opum ac facultatum, sic famæ existimationisque iusta quædam possessio: si & in concupiscendo modus, & in quærendo æquitas, & in fruendo temperantia servetur.

Quæ quia incredibilem quandam excelsum mentis desiderant, nec in pectora vulgi cadunt, animosque populares: hinc fit ut cum bonis artibus consequi gloria plerique nolint, aut omnino nequeant; eam fraude ac dolo malo capent, ejusque si non corpus, at imaginem certe atque umbram aucupentur. Ita enim se res habet. Ex iis bonis quæ commoditati

vita

vitæ aut dignitati serviunt, nullius fere solet esse quam famæ distributio iniquior. Meritorum quidem ac recte factorum tam obscura sunt jura, tam parum perspectæ vis & gravitas, ut sæpe contemnantur qui illis abundant; quibus autem nulla suppetunt, ii ad summos honores evehantur; & cum præclaris solum artibus ac studiis ea debeatur merces, flagitia fere obtinent; iisdemque gradibus, & viis ad magnam existimationem, & ad summam opulentiam pervenitur. Avaritia enim non se continet intra pecuniæ limites, sed grassatur quoque in celebritatem nominis; atque in hoc fundo & patrimonio virtutum, non minus quam in foro & mercatu latrocinia exercet, tenditque insidias.

Et tamen in tanta corruptela morum atque labe silent leges! nec ulla de coercendis famæ prædonibus edicta feruntur; cum levibus etiam furtis penæ constitutæ sint & multæ & graves! In quo sane mirari satis non possum nostram rationem aut constantiam potius; qui vel tanti faciamus hoc bonum, quod exponimus temere cunctis; vel cum tanti faciamus, non illud tamen majori cum cura ac diligentia tueamur.

Ut ut est; decrevi hodie, præsidis senatoresque amplissimi, homines istos, qui illustres falso dicuntur, qui simulatione virtutum ad honores irrepunt, qui artem quandam parandæ famæ colunt illiberalem ac sordidam, ad tribunal vestrum deferre. Nam etsi foras se, propter lenitatem summam legum atque clementiam, graviora supplicia videbuntur posse defugere; ludibrium tamen quod debent publico; vitare nullo modo poterunt. Nec opus esse arbitror de hoc argumento dicentem a vobis postulare, ut attente benigneque audiatis. Vestra enim agitur, communisque omnium causa, qui vere laudi gloriæque student; cuius possessionem asseruisse vobis videbor, si eam ex præ-

prædonum impudentissimorum injusta usurpatione vindicavero. Mihi certe jucundissimum erit in carpendis aliorum moribus prædicare laudes vestras, istaque splendorem ac fulgorem aliquem comparatione vitiorum asferre. Atque ita fugiam adulationis suspicionem, parcamque vestræ modestiæ, ut muneri meo ac propensissimæ voluntati faciã satis. Et erit profecto in ea quam profiteor eloquentiæ facultate, gratus error & peccatum felix, sic illius quod proposuissem contrarium effecisse, ut elogium adornasse me, non accusationem meditatam existimeris.

Quamquam sic objurgatoris partes agere in hac causa decrevi, ut neminem appellandum acerbius, ac ne demonstrandum quidem, aut signo aliquo indicandum putem. Sed in universum & infinite quæram de toto hoc genere captatorum atque insidiatorum laudis. De quorum arte cum tria debeant disputari: primum quibus illa constet nitaturque principiis; deinde quam multiplex in ejusdem usu, & exercitatione fraus sit atque fallacia; postremo, quem exitum, finemque habeat: sic ea tractabuntur a nobis, ut in primo quidem ac tertio capite brevissimi, in secundo breves, in cuncta oratione non nimium verbosi fore videamur.

Vultis igitur, Auditores, placita sectæ hujus & effata videamus, quam remota sint ab usu & opinione communi proborum, quam ab instituto virtutis & sapientiæ aliena, quam plena fraudis ac veneni, quam denique societati hominum perniciofa? Audite quomodo ipsi se loquantur: præstat enim ex suo ore quid sentiant, quam ex meo, cognoscere.

Quid est, inquit, quod tantopere obtrectant nobis, atque nostræ detrahunt invidentissimi homines? an quia rationes sequimur parum honestas conciliandæ famæ, ideo objurgandi sumus? Ignorant

scilicet

scilicet, cujus rei cupiditas necessaria sit, ejus consequendæ turpem viam omnino nullam esse? in fama vel felicitas vitæ sita est, vel præsidium certe positum ingens ad beate vivendum: quibus rebus carere necesse erit maximam partem hominum, si virtuti si præclarè factis gloria solum debetur. Quod quid aliud est, quam ad paucos summi boni possessionem referre velle, calamitosos autem reddere complures ac perpetuo miseros. Insistant sane isti æmulatores heroum veterum, quando ita volunt, asperum ac præruptum iter: gaudeant viam aperuisse sibi per ardua; modo ne inuideant nobis quod & facilius, & celerius, & minori cum periculo pervenimus, quo per ambages & discrimina multa tendunt. Quid refert, rebus ipsis, an opinione rerum id consequamur, quod utro tandem modo continget, æquale futurum est? Nihil interest ad famam, quam vere magnus sis, sed quam præclarus aliis videre. Opinionem enim & exultationem non virtus ipsa per sese ac merita gignunt, cum minimè cadant sub sensu; sed species & simulacra virtutis, quæ feriunt oculos & admirationem creant. Neque verò minor est vel fructus vel jucunditas hujus qualiscumque gloriæ ac celebritatis, cum ejus boni possessio sola perceptione animi & comprehensione adeatur. Nam ut ille dives judicari non debet, qui multas opes habet in arca congestas, sed qui iis fruitur; cum avari summa pecuniæ affluentia semper egeant: ita non conscientia meritum, sed opinione & persuasionem constat, ista quam tantopere appetimus, gloriæ jucunditas: isque demum frui fama est dicendus, non qui multa præclare fecit ac fortiter; sed qui gaudet se dignum judicari, cui illa præclara facta & decora tribuantur. Quid autem admirabilius, quam ita verari in luce civitatum, ut cunctorum oculis impo-

nas;

nas ; & cum omnium intimi sensus mentesque pateant , ipse nemini sis notus , novusque semper & alius , & major te ipso videre ? Nam conciliare virtuti laudem , nihilo sane difficilius est , quam soli splendor-rem asserere fulgoremque sideribus . At illud efficere , ut flammula tenuis lumen solis & astrorum æquare videatur aut etiam vincere ; ut quod obscurum sit fulgeat , quod depressum ac humile emineat , quod inane ac vacuum extet , quod contemptum & objectum suspiciatur : id consequi , ut in ignoracione summa , doctrinæ opinione floreas ; in nullo rerum usu , sapientissimus habearis ; famam ingenii conjungere cum maximo stupore , scribendi ac dicendi gloriam cum stultitia singulari ; sic ornare vitia colore inducto virtutum , ut laudentur ; gratiam atque venustatem rebus obscenis tantam conciliare , ut placeant ; restituere vetustis suam novitatem , corruptis integritatem , vitam atque animam sepultis , hoc vero incredibilem cujusdam solertia est , hoc specimen nostræ artis , ac singulare miraculum .

Sic illi loquuntur , sic sentiunt , Auditores , & verbis quidem atque sententiis egregie facta respondent : nec segnius in reliquam substructionem incumbunt , quam posuere fundamentum . Sed quia si vagari per singula vellemus , nostra futura esset infinita oratio : placet illa nunc ad capita omnino quatuor revocare . Cum enim insidias quæ pecuniæ tendi solent , ad famam aucupandam dixerimus esse traductas ; eorum nominibus sic utemur , ut latrocinii , præstigi-orum , monopolii , moneræ adulteratæ crimina , gloriosis nostris non dubitemus objicere . Nam etsi rerum videretur conditio diversa ; par tamen utrobique malitia , eadem fallendi ratio & voluntas patebit .

Primum igitur , nonnulli in famam invadunt , eamque usurpant nullo alio jure , quam quo latrones aliena

aliena bona , sua faciunt : quæ ubi retinere apud se aliquandiu , vel quia non repetebantur ab ignavis , vel quia a parum diligentibus rei familiaris deferebantur ; inducunt præscriptionem , vel colorem potius aliquem juris , qui non illos quidem justos reddat possessores , sed metu tamen legum solvat , & actionem si quæ intenderetur , excludat . Hi sunt præcones ac buccinatores factorum suorum : laudem enim quam ab iis expectare deberent , cum sibi tribuant , depeculantur . \* Quæ ratio , etsi primo aspectu videtur absurda , minimeque idonea celebritati comparandæ ; tamen incredibile dictu est quantum valeat , cum in loco & ex arte ac disciplina quadam adhibetur . Ple-rique enim hominum ita sunt a natura comparati , ut extorqueri a sese quam obtineri laudationem malint . Sive quod majus est hoc bonum atque præstantius , quam ut sponte gratisque obrudi debeat : sive quod in prædicando altero tacite quodam modo fatemur nos impares , & obstruere videmus luci propriæ , celebratione æmulæ virtutis : sive quod tutius putatur atque consultius aliorum de se judicium sequi , quam pervertere : sive sapientiæ postremo est sustinere opinionem in re ambigua & obnoxia errori , & habere quo excusare credulitatem possis , si falli te ac decipi forte contigerit . Certe imitantur complures , illos qui veniunt ad forum & nundinas ; nisi prensantur , nisi ambiuntur a mercatoribus , nisi prope per vim ac contumeliam impelluntur , nihil emunt . Est quidem gloria , ut scire appellatur a doctis , echo virtutis ac recte factorum . Sed sane echo illa perpetuo conticescet , nisi præeas , ultroque excites . Vis nomen tuum longe lateque celebrari , vis orbem universum circumsonare laudibus tuis , vis plaudì tibi ab remotissimis etiam gentibus ? fac prius ipsæ famæ

\* Latrocinium Famæ .



tubam infles, prædicesque de te quam poteris magnificentiſſime: tunc enim centum quali vocibus respondebit illa popularis echo, & honorificos de te rumores, eum grata admurmuratione audientium, ubique feret.

Quamquam in hoc adhibere iudicium aliquod merito ſolent. Nam aliter agunt cum rudi plebe, & pueris, & mulierculis; quam cum viris, & iis qui ingenio, qui ſagacitate, qui uſu aliquo rerum pollent. Alteri enim cum auctoritate, & quaſi pro imperio tractari debent; ita ut quo quiſque audacior eſt, atque impudentior in iactandis rebus ſuis, hoc admirationem majorem ac plauſum apud illos mereatur. Sic enim colligunt, quæ tanta confidentia prædicentur, ea dubia & ſuſpecta eſſe non poſſe. Simul id magnanimitati tribuunt, ac redundantis cuidam virtutis non capientis ſeſe intra limites pectoris anguſtos, ſed erumpere geſtientis & probare ſe publico, ad invidiæ ludibrium, & ut exemplum illuſtre extet in quod cives intueantur.

Alteri autem paulo civilius ac liberalius & quaſi ex occulto & cum reverentia falli volunt: offenderentur enim inſolenti illa & aperta oſtentatione ſui. Quare aſtuti homines, cum in illos incidunt, obiter tantum ac veluti aliud agendo de ſe prædicant, idque per modeſte ac paucis: raroque id faciunt ac fere ſine arbitris inſuſurrando in aurem, & petita ſecreti fide. Qua ſimulatione modeſtiæ cum admirationem ſui immenſum augent, tum loquacitatem incendunt impoſita ſilentii lege; ac ſpecie vetantium, graviffimæ laudes ſuas imperant. Deliguntur enim conſulto homines, ut falſe Comicus ait, pleni rimarum & qui undiq; effluunt; apud quos perinde ſit deponere arcanum, atque illud per vicos & compita civitatis, præconum vocibus publicare. Serpit enim momento, matratque in infinitum ex eorum ore profectus rumor,

occur

occupatque aures remotiſſimarum gentium quaſi contagione quadam & propagatione laudis. Quomodo lapillus ſi conſiciatur in ſtagnum, ſilente vento & quieſcentibus undis æquabile, cadendo figurat aquam modice in orbem, ac veluti rugam inducit quæ initio fallit oculos; mox tamen ſuccedente altera paulatim explicatur, ſitque ſeiſpa quodammodo amplior: aliis deinde atque aliis ordine fluentibus, & ſe mutuo interpellentibus circulis ita creſcit, ut denique impleat ſuperficiem ſtagni totam, nec niſi ripis ejuſdem ac limitibus terminetur.

Jam callidè nonnulli aliorum præconiis laudes ſuas intextunt, ut Phidiam ſtatuxæ Palladis ferunt inſeruiſſe nomen ſuum, ita ut expungi non poſſet, quin ſignum ipſius deæ violaretur. Sunt qui promittunt famam, & immortalitatem, ut habere ſcilicet credantur in ſua poteſtate id quod non eſſent daturi niſi haberent. Alii commendare ſolent & tollere in cœlum eas artes, in quibus ſibi non omnino inepti videntur. Si faltant, ſi ſciunt fidibus, ſi eloquentiam aut poëſim non infeliciter attigerunt, in iis rebus ſitam eſſe contendunt perfectionem & abſolutionem vitæ; pugnabuntque plus ingenii, plus iudicii, plus ſubtilitatis ad epigramma argute concludendum, vel aptandam venuſte numeris ſiſis cantilenam, quam ad totius Philoſophiæ comprehensionem requiri.

Nec illud minoris eſt artis, quod inſectationem victorum quibus carent, ad commendationem ſuam traducunt: laudantur enim qui diſſimiles ſunt contentione dignis. Quo in genere multis profuit, ultro in ſe calamos futillum hominum provocatſe; aut ſcripſiſſe etiam alieno nomine, ac fere de rebus nihili ſatyras & libellos famoſos, ut locus eſſet honorificis deſenſionibus; utque per neceſſitatem propulſandæ calumniæ, tum ipſi cupiditati ſux liberalius indulgerent,

E

rent, tum boni omnes invitarentur ad ferendam operam virtuti oppressæ, ejusque dignitatem publicis elogiis communicare iudicio tuendam. Indidem est, & ex ejusdem disciplinæ fonte profectum, quod in rixas & in contentiones principum se ulro immiscent. Nam ut creduntur delecti certo patroni majestatis, quod summæ existimationis est; aut sponte suscepisse Patriæ causam, quod magnitudinis animi atque pietatis. Illud certe obtinent ut nominentur in famosa lite; utque apud suos juxta & externos, si non victoria, pugna saltem ac dimicatione inclarescant.

His gloriæ latrocinii atque furtis, auditores, nescio an debeam adjungere artem illam præstigiatorum, quam venuste \* Quintilianus appellat *jactationem*, qua multi utuntur ad plausum & admirationem vulgi captandam. Atque ut hoc intelligatis, quod mente facilius comprehendere potest, quam verbis & oratione explicari: ponite quæso vobis ante oculos unum aliquem ex circumforaneis istis præstigatoribus, quibus unum a republica demandatum munus esse videtur, ut volentes impune decipiant. Præter pueros, & bajulos, & infimæ plebis sæcem, veniunt sæpe ad illum cives etiam honesti oblectationis causa, & ut animos ab contentione fatigatos, joculari spectaculo, nugisque audiendis paulum recreent: certi tamen nullam mendacissimi agitæ sermonibus fidem adhibere. Interea pegasus ille conscendit, exponitque suas merces ambitiose, & ad pompam: promittit unguenta, pastillos, odores exoticos omnis generis: crustula dealbandis dentibus a se confecta diligenter; mirificum saponem ad detergendas manus, curemque levigandam; pulverem qui siccat crines, eosque crispet innoxie; alia ejusdem notæ medicamina, quasi in antecessum præmittit.

Nam

\* *Præstigia Fama.*

Nam ubi ventum est ad divinum illud & coeleste Pharmacum, Deus bone! quam gloriose se jactat in hoc campo, quam triumphat magnifice, quam novis quam exquisitis nominibus rem unam appellat! Hoc enim vero *moly*, hoc coelestem panaceam esse; contineri in mithridatico suo fontem vitæ, animam mundi, medullam astrorum, immortalitatis antidotum, alexicacon universale. Ne multa; (vereor enim ne circulatorem quoque agere imitando videar) hoc perficit pollicitationibus suis; & crebra jactatione miraculorum, quæ ubique parata narrat ope incomparabilis medicamenti, ut demum pecuniam a cunctis, scientibus, videntibus, & suam ipsorum stultitiam videntibus emungat.

Ecquis vestrum, auditores, tamquam in tabula, depictos non agnoscat mores certorum hominum, quos dicebam præstigiis suis eblandiri famam & celebritatem? idque consequi aperta professione mentiendi, ut plerique sibi credant, nulli certe non dissentire vereantur. Primum enim nulla unquam de re dubitant, aut sustinent assensum: ad quæstiones etiam inopinatas semper parati, ajunt aut negant præfractè & confidenter. Laudas factum alicujus dignum memoria & celebratione honorum, illi statim multo admirabiliora decem pro uno subjiciunt, adductis nominibus locorum ac personarum, tanquam oculati testes fuissent. Incidet, ut fit, sermo de statu præfenti rerum ac felicitate Galliæ, sub rege tam forti tamque moderato; excurrent illi continuo in regiones orbis universas, qui mores & indoles principum singulorum, quæ mens, quæ consilia, qui apparatus, quæ ratio gerendi imperii in tanta securitate narrabunt, ut non ea finxisse, sed spectasse videantur. Antiquitatem amas? tenent omnium ætatum historiam: Assyriorum, Medorum, Persarum, Phœni-

cum, Ægyptiorum, Scytharum origines, successores, colonias ordine & articulim referent, ut sunt descriptæ a Beroso, Manethone, & Hiram rege suis in annalibus, quos scilicet legerunt. Novitatis cupidus es? nova in cœlo deprehenderunt astra, conversionesque planetarum ignotas Copernico atque Tichoni. De circuli ad quadrum reductione, deque perpetuitate motus solemnnes quæstiones, quibus in extricandis docta antiquitas irrita conatu defudavit, nullo negotio solvent. Artefactis machinisque delectare? novos in utraque architectura reperere ordines ac modos, nova tormentorum genera, quibus non jam globi sed armati milites in oppida excutiantur. Quid plura persequar, auditores? cogitate res quantum potestis arduas atque difficiles, optate quicquid incredibile factu videtur ac supra naturæ vires positum; hoc circulatorum nostri non modo se facere posse confident, sed etiam se fecisse gloriabuntur.

Atque scitis profecto nihil hic fingi a me, vel augeri per suspiciones & calumnias, a quibus longe semper abfui: vereorque potius ut parcitatem in carpendo nimiam, quam cupiditatem reprehendatis. Quid autem docti homines, & cordati cogitant cum hæc intuentur? Ridet privatim & in sinu mimum, ac comœdiam popularem, & stoliditate vulgi fruuntur. Favent tamen ipsi quoque in publico, plauduntque cum turba, impostoribus audacissimis: ne invidere alienæ laudi, ne obrectare honestis artibus, ne pugnare cum communi sensu, ne lites & rixas, ne contentiones & odia civium quærere videantur.

Sed veniamus ad \* tertium illud genus fraudatorum, qui exercent quasi quædam monopolia famæ; & societas laudum atque commercia, magna cum sua, tum amicorum utilitate quæstusque institunt.

\* *Monopolium Famæ;*

tuunt. Nihil attinet, auditores, ut eos demonstrarem apertius. Plenæ enim sunt urbes, plenæ provinciæ, plena Gallia & Europa omnis, his coitionibus & conspirationibus *pretiosorum ac pretiosarum*, (ut appellari amant) qui pretium rebus ponunt, & existimationi publicæ moderantur. Leges habent, quas privata singuli utilitate, non amore communis boni custodiunt: laudant mutuo ut laudentur, & foenore gloriam dant & accipiunt. Easdem amicitias & familiaritates colunt, easdem lites & inimicitias exercent: cæteris omnibus obrectant, prohibentque aditu & possessione famæ, cujus regnum tibi vindicant, quamque pro jure suo dispensare ad arbitrium volunt. Ignoratus es, aut parum adversus fœderatos officiosus cliens? bardus, stupidus, insulsus, cum ingenio, cum literis & urbanitate tua audies. Initiatus es arcanis mysteriis, applicuisti te ad unum aliquem qui te ostentare possit & commendare famæ? esto securus, ibis per ora populorum, nullaque erit tam remota gens, nulla tam barbara natio, quæ nominis tui admiratione non capiatur.

Meministis, auditores, neque enim profecto potestis oblivisci, quid Lutetiæ in illo theatro ingeniorum, in illa quasi communi politiorum hominum patria, quotidianæ fiat. Ubi candidatus quispiam gloriæ, paucorum suffragio & ambitu, dignus est visus qui publicam in lucem concionum, aut splendorem fori prodeat; qui sunt concursus quanti ad portam clamores, quam ægre submoveretur a lictoribus turba? (Et hoc enim ad celebritatem facit, custodes apposuisse ad januam.) Matronæ nobiles cum puellis delicatis, & tota circinatorum gente certatim confluunt: currus etiam mittuntur inanes cum phaleratis equis, qui dominorum locum teneant, adhinniantque dicenti. Quid deinde? quid? Vix cœpit dicere, & jam mirantur;

respectant invicem attonitis similes, tollunt humeros atque manus præ stupore: quod tussunt, quod excreant, id fit ex composito, & ad testificationem laudis; & cum reverentia loci frænum linguæ imponat, toto corpore exclamare gestiunt.

Nec minor est pro libris, si quos forte scribunt, ambitio & conflictus. Jam enim primum quo meditantur, longo ante intervallo denuntiare & ostentare per amicos solent, quam applicent ipsi sese ad scribendum; curant dissipari per provincias & vulgari apud externos hunc rumorem, astute quidem & ex præceptionibus artis suæ. Nam susceptione ipsa & designatione operis, opinionem consequuntur doctrinæ: tum illud præterea efficiunt, ut multorum ad se literis & hortationibus præstantissimorum hominum publico innotescant. Quo fit ut etiam si ab incæpto postea desistant, illud non in magnitudinem laboris, ac imbecillitatem ingenii, ut par erat; sed vel in occupationes magnas suas, vel in valetudinem, vel in pigritiam ingeniosis etiam viris familiarem, vel postremò honestam aliquam in causam, cujusmodi solet adduci multiplex, referatur. Certe sine conflictu ullo ac dimicatione, laudem acquirunt, & gloria fruuntur; quia cum facillime possent, vili sunt studio & proposito eam persequi noluisse.

Quid si autem ovum illud, diu noctuque incubando per annos complures, aliquando tandem excluditur? Quid? Gallinæ filius albæ, vel Phœnix potius prorupit in lucem. Græci, Romani, Itali scriptores:

*Vos viles pulli nati infelicibus ovis.*

Recens adhuc a manu & calamo cœlestis partus, circumfertur per ginæcea & circulos: recitantur ea capita in quibus auctor se amavit plusculum, indulfitque genio liberalius: revocatur ad versus pene singulos,

gulos, euge, belle, divine! Interea natio omnis Typographorum obidet, prensatque scriptorem, pecuniarum magnam certatim offerunt. Argenteis formis, coronaria papyro, vineis & acanthis ad omnem elegantiam librum concinnant, pretium denique dicitur ingens quod excandefaciat annonam. Quid est, auditores, an mentior? An non ita uti prædico, quotidie res fiunt, ac multo etiam cupidius & ambitu majori? Intelligitis nunc tandem quam magnum in hac arte præsidium sit ad famam; quamque pronus per istas coitiones, conspirationesque illustrium, ad templum gloriæ pandatur aditus? Nempe tu Lipsi, tu Casaubone, aut de cætu doctorum quisquis es, audebis credo carperè hunc librum quem arbitri publicæ existimationis miris laudibus efferunt, quem elogiis patritii complures munierunt utraque lingua scriptis? quem scœminæ principes in interiore sponda & recessu cubiculi, cum arculis, & sigillis, & odoribus, & mundo elegantiori, ebeninis forulis, scrinioque inclusum prætioso custodiunt? quem puellæ nobiles ferunt in oculis & sinu, quem deosculantur, quem memoria tenent? Tu vero tacebis, si sapiens, abstinerebisque ab eo manum; si non fustis ac scutica metu, ac certe ne pro insulto, & inficeto, & agrestis magistello te habeat grex omnis politionum, ac ridendum te cunctis exhibendumque proponat.

Vultis nunc, \* auditores, ex ista aperta & tumultuosa nundinatione laudis, in tectiorem aliam & secretiorem famæ officinam transeamus? Et si autem vereor, ut quod mente sentio explicare satis possim, vobis tamen pro acumine vestro ad intelligentiam & comprehensionem sufficiet, rem levi signo indicasse. Neque enim profecto ignoratis, quid sapientissimi viri cogitent, quum inter se ac familiariter queruntur,

E 4

abun-

\* *Officina adulterinæ Famæ.*

abundare republicam adulterinis nummis, qui pro legitimis in commercium vitæ, & cum proba minimeq; suspecta pecunia murentur. Eo certe perducta nunc est improba hujus artis felicitas, ut callidissimi etiam plerique inducantur in fraudem. Color vividus ac florens, sonus integer, forma & characteres elegantissime excusi, pondus ipsum ac mensura proxime accedit ad imitationem perfectam monetæ incorruptæ, ac veræ. Denique, ut aperte loquar & sine ambagibus; nemo nunc est homo tam plumbeus, tam spissus, tam plenus scoriæ atque fæcis, qui in officina famæ non spendescat; qui pretiosus, qui auro & argento contra carus inde non prodeat. Atque hæc quidem admirabiliora videri debent, quod nec impendio nec labore magno fiunt. Tota enim ratio & subtilitas in eo est posita ut occultentur vitia, quæ intus sunt, diligenter; quæ vero extant, iis color & quasi bractea virtutis quam potest speciosissima inducatur. Nempe omnia vitia splendorem aliquem trahunt ex vicinia virtutum, easque parte nonnulla sui referunt. Ex quo apparet quam non difficile sit, monealibus istis, ut sic dicam, falsariis, inaurare mores suos, & levi tectorio honestatis, sordibus animarum pretium arrogare.

Venit \* ad eos aliquis ingenio tardo, & lento; exploratur: surdum quiddam & obscurum sonat: multum habet plumbi. Ne e temere inferat in cœtus & congressiones hominum politiorum; quibus & celeris animi motus, & copia sermonis, & in dictis jaciendis venustas, & dexteritas in excipiendis; & cæteræ postremo artes homine urbano & liberali dignæ. Sciat tacendi partes sibi esse impositas: eas si recte tuebitur, brevi cognoscet quam vere a sapientissimo rege sit dictum: *stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.*

\* *Homines plumbei.*

*tur.* Studet enim mirum in modum nostra ætas tribitque plurimum taciturnitati. Signum est enim plenæ opibus confertæque mentis, quæ inanes verborum sonos minime reddit. Quis flumen hoc ingenii non suspiciat, cujus fundum non videt? Quid de illo non speres, qui nunquam loquitur quæ reprehendas, multa silere videtur quæ mirari possis? qui putatur habitare secum ac conversari cum tacet, quod sibi solus auditor solus conscius & familiaris esse mereatur? Inducenda tamen huic plumbo aliqua quasi lamella ex auro, quæ moretur oculos, & opinionem augeat opulentia latentis. Ergo habeat meditados de imperio, & politica administratione locos communes, axiomata petita ex intimo Taciti penu, breves aliquas & suspiciosas sententias, quæ plus dicant quam sonent auribus. Ea in loco scite & graviter adhibeat, ut excidisse nec opinanti putentur, non allata de industria fuisse. Jam de principe, de administris, de rationibus gentium exterarum, de pace ac bello ambigue semper & timide, nutuque potius ac supercilio, quam verbis, judicium ferat. Ita demum de re qualibet interrogatus, vel pronunciet, ut aliquid semper esse in animo quod retinere velit; vel rursus fileat, ut taciturnitas ipsa cum significatione quadam sapientiæ conjuncta esse videatur. Mentiar, auditores, ni novus ex stupido isto Solon, aut Lycurgus alter repente excudatur, cujus ab ore cuncti pendeant, legesque discant bene ac sapienter imperandi.

\* Quis autem iste alter perlucens & inanis totus? Pondus non habes, bone vir: opus est arte qua vitrum tuum dissimules. Tinnis tamen & acutum sonas: sic potes fallere & decipere incautos. Age utere facultate garrindi tua; multis enim loquacitas conciliat nunc famam & existimationem doctrinæ.

Quare

\* *Homines vitrei.*

Quare pervium hoc & perlucens vitrum stipetur, & quasi obstruatur multa serie librorum, quorum titulos & argumenta memoriter teneas, citisque indentidem quo quisque anno sit Typis excusus; Basileæ an Venetiis, Romæ an Lugduni, Aldi an Frobenii Prælo? Delibandæ præterea controversiæ celebres doctorum, de tribus capitalis & synodo Syrmienti, de Conitanti baptisimo ejusque diplomate; postremo loci insigniores utriusque historiæ norandi, quos ad pompam & ostentationem tractes in mulierum aut imperitorum cœtu. Hos enim iudices, arbitrosque habebis; nec te applicabis ad genus illud sapientum & schola gravium hominum & cervice dura, ne futile vitrum cum sonitu dissiliat. Quod si necessitate aut casu aliquo in illos incurres, non cominus & presso pede dimicandum, sed eminus & quasi fugiendo; ictus non clypeo excipiendi, sed vitandi levi declinatione. Joci, sales, acute dicta, sic tamquam jacula in adversarium effundenda per vices. Denique in garrulitate adversus sapientiam, in cavillatione adversus æquitatem, in audacia adversus constantiam præsidium queratur; numerus in suffragiis spectetur, non pondus & gravitas: si vincere non potes ratione, vince clamoribus. Argumentum enim victoriæ est iudicio plebis, nolle cedere.

\* Sunt qui virtutes aliquas, sic tamquam aurum stanno vel ære, admixtas habent pluribus vitiis. Nam nec fulgor ingenii, nec sonus verborum, nec rerum pondus & gravitas, nec forma denique & quasi character honestatis illis deest. Atque hi quidem, primis in congressibus, rapiunt in amorem & admirationem sui cunctos. Jocantur cum urbanis venuste, cum acutis disputant subtiliter, graviter cum sapientibus differunt, ornate loquuntur cum dis-

\* *Homines mixti,*

fertis, nugantur etiam & ineptiunt cum otiosis suavissime: nam inter liberales hujus sæculi disciplinas, dominatur ars quædam & sciencia nugandi, cui natio tota elegantiorum vehementer studet. Verum iste fulgor ingenii & character doctrinæ, deteritur usu & tractatione frequenti: proditque continuo pallor, vel rubor etiam ex longa familiaritate offusus, mixturam metallorum. Peritos certe qui iudicio acri, sic tanquam Lydio lapide cuncta explorant, & ad libellam examenque veritatis exigunt, latere vitium diu non potest. Qua igitur ratione probabuntur in vulgus adulterini nummi & prærium obtinebunt? Nempe si cum eodem bis sermones non conferent, si crebro sedes & familiaritates mutabunt, si circumferent varia in loca merces suas, si novi semper & ignoti venient in cœtus & circulos; laudabuntur enim ab omnibus quamdiu spectandos se præbebunt ex parte tantum, & quasi in transitu. Nam acuetur desiderium, non afferetur satietas; cum in eo quod patebit, satis erit ad laudem, non satis ad censuram. Imo bonæ quæ cernentur hoc modo, sicut adhuc majora expectatione latentium plurimorum: & quia caput auratum erit, facile credentur ceteræ quoque statuarum partes, eodem metallo constare. Quam enim multa supplet ignoratio & imbecillitas humanæ mentis! Sæpe ea magnis imperatoribus pro exercitu fuit. Terruerunt hostes suos opinione virium, quas non haberent; & hoc arte rapuere victoriam, quam in campo & in acie ne optaturi quidem sine temeritate summa fuerant. Ita quæ semel & in transitu solum videntur, sic occupant oculos imagine sua & fulgore præstringunt ut spatium ad singula spectanda non relinquunt. Hæret species virtutis sola: & mens omni ope persuadere sibi studet, nihil in eo quem mirabatur residere vitii; ne si hoc admittat, errorem ipsa suum agnoscere, & damnare iudicium videatur. Atque

Atque hæc sunt fraudes & insidiæ quæ tenduntur ab aucupibus laudis & existimationis, auditores; non omnes tamen; quis enim complecti singulas dicendo possit? Ac nec graviores quidam fortasse, vel magis odiosæ. Consulto enim eos prætermisi, qui magnis flagitiis ac sceleribus nobilitatem querunt, qui violatione sacrorum, qui oppugnatione religionum, qui aperta professione impietatis, qui legum humanarum divinarumque contemptu, qui perfidia, qui prodicione, qui calumniis, qui turpitudine vitæ, qui moribus corrumpendis, prædicari de se ac nominari volunt: quos utinam rariores ferret hæc ætas, aut certe nullos sinu in suo latere Gallia pateretur!

Restabat ut quod tertio loco proposueramus, de exitu & fine hujus artis aliquid a nobis diceretur. Sed profecto non est ea difficilis conjectura & divinationo. Quis enim, si severa interpretatione juris, si scopo & intentione legum, si comparatione factorum similium, si injuriarum æqualitate, si præjudicio denique quodam communis sensus rem definiat; non eandem illi quam latrociniiis, quam præstigiis, quam monopoliiis, quam monetæ corruptioni fortunam augeret? Ego vero cum insidiatoribus illis famæ agam paulo remissius: nec si vos ex veteri fortuna interrogem, auditores, quid censeatis; aliter credo esse opinaturos. Dabunt tamen illi pœnas & quidem meritis suis congruentes. Contemnentur a vobis, ridebuntur a sapientibus, ejicientur cum probro e cœtu ac societate honestorum hominum. Vel si suæ fortasse ærati imponere, ac fucum facere aliquandiu potuerint, ad posteros certe cum nota infamiæ perpetua traduntur.

Quamquam, ut vere loquar, præreptæ per vim aut ambitum gloriæ, rei esse nullo modo videntur. Non enim cadit in fordides ac fraudulentas mentes, tam excellens munus, quod solis virtutibus ac præclare

alare factis debetur, solis tribuitur. Quid enim aliud cogitant homines, cum prædicatione tua quempiam efferunt, & publico elogio dignantur? Nempe justos honores tribuere virtuti, ac debitum cultum volunt. Hoc præmium, hanc coronam laboris atque meritum, flagitiis, obscœnis artibus, turpissimæ condemnationi, conspirationibus clandestinis nunquam decrevere. Qui igitur admirationem vulgi, & popularem auram aucupantur, qui famam & existimationem insidiosè captant: ii magno labore contendunt, ut seipsos inducant in fraudem; illud enim sequuntur, quod teneri per vim non potest; illud auferre cupiunt, quod ut suum sit, pendet ex judicio & voluntate sapientum. Gloria enim libera res est, sui que juris. Non venditur, non mancipatur, non temere ab stultis, & ignavis hominibus distrahitur. Fugit illa elabiturque e complexu turpium procerum, iisque umbram solummodo & inane sui simulacrum relinquit; quo sane licet ad ludibrium suum fruantur. Hanc enim felicitatem non invidemus ipsis: nec gloriam, quæ cum virtute conjuncta non sit, ad nos unquam putabimus pervenire.

Hanc tu veram solidamque gloriam jure possides, Ecclesiæ princeps illustrissime: quam etsi infra excellentem animi tui semper duxeris; non poterat illa tamen non affectari virtutes tantas, si suo ipsa decori consultum vellet. Et quamvis tuorum magnitudinem non adæquet meritum: plurimum tamen una potest, vel dignitati vel ambitioni sufficere. Nobilitati antestis præclarissimis hujus ordinis insignibus: inter Ecclesiæ principes tenes primatum: in cœtu doctorum, & illo sapientiæ quasi regno dominaris; oratores fieri, eloquentiæ illius lenis & flexaminæ, imperium tibi deferunt. Hæc tua laus, hæc gloria est: quæ si propriæ dignitati, si præclaris artibus tuis, si judicio omnium

omnium bonorum, si communibus Galliæ votis non deerit, ad vetera illa ornamenta, \* novum etiam brevi splendorem adjunget.

Neque nos alibi eandem gloriam quæremus, præfides illustrissimi, senatores amplissimi, quam in augustissimo vestro ordine, hoc est in domicilio virtutum, in folio æquitatis, in sacrario honoris, in templo majestatis. Transfit illa quidem aliquando per ordines cæteros, & quasi vagatur, domestica curæ & contubernalis. Commodat aliis splendorem suum; vestigalem eum vobis debet. Ornat alibi virtutes; hic ornatur a vestris. Neque enim ex purpura & infulis & insignibus cæteris amplissimi magistratus, tantum in vos derivare potest; quantum ipsa trahit ex sapientia, integritate, constantia vestra dignitatis. Maneat igitur illo in gremio libertatis, ut cum differtissimo senatore loquar, tuta adversus impostorum fraudes atque insidias; rideat inde calumniæ petitiones & assultus; oculos & dentes contemnat invidiæ; in conscientia denique magnorum erga patriam, erga regem, erga religionem, ipsumque Deum meritorum; ubi nata, ubi adulta, ubi perfecta est; feliciter conquiescat.

\* *Creatus est deinceps Archiepiscopus Parisiensis, Dux, & Par Franciæ.*



SERE-

SERENISSIMI PRINCIPIS  
LUDOVICI  
FRANCIÆ DELPHINI  
LAUDATIO FUNEBRIS

HABITA PARISIIS IV. NONAS JUNIAS

In Regio Ludovici Magni Collegio  
Societatis JESU

A CAROLO PORÉE.

CUM plerisque hominibus, tum maxime viris Principibus tanta inest immortalitatis apud posteros consequendæ cupiditas, Cardinalis Eminentissime, Illustrissimi Ecclesiæ Principes, Præsides Illustrissimi, amplissimi Senatores, cæterique ordinum omnium Auditores ornatissimi, ut præsentis hujusce vitæ amor, æternæ illius famæ desiderio sepe superari, aliquando extingui videatur. Quàm multi enim perituri ævi diuturnitate parum solliciti omnes curas & cogitationes suas ed conferunt, ut memoriam sui relinquunt post fata sempiternam? Quàm multi etiam in aperta pericula caput immiserunt, ut nomen suum longe in venturas ætates transmitterent; atque, ut possent diutius vivere, mori properaverunt? Ambitiosa profecto cupiditas! ignoscenda tamen vis Principibus, qui nascuntur & morri, sicuti cæteri homines, & præter cæteros immortalitati.

Verum heu! quàm pauci certam illius æternitatis,

tis,



tis, quam sequuntur, attingendæ viam ineunt! Alii nullum ad immortalem memoriam iter, nisi multorum morte, aperiri posse existimant: neque vident tot sibi eripi victoriarum præcones, quot ferro perierint, tot relinqui crudelitatis testes, quot cædi superferuerint. Alii nomen suum posteritati malè commissum putant, nisi effossa è terræ visceribus metalla & marmora in ipsorum vultus ab arte transferant: neque prospiciunt animo, abolenda esse temporum injuriâ dicam, an æquitate, superbiora illa monumenta, quæ imperaverit cæca ambitio, aut adulario ignava posuerit. Plurique certe in eo versantur errore, non posse commendari se consequentibus sæculis, nisi ætatem suam factis quibusdam insignioribus ad ostentationem, & miraculo propioribus illustraverint. Non intelligunt illi profecto aliam esse certiore posteritatis demerendæ viam: alias virtutes, quæ minus celebritatis habeant, plus diuturnitatis: illum verè immortalem fieri, quem populi velint æternum vivere, qui præsens ametur maximè, qui sublatus vehementissimè desideretur.

Atque hæc satis, opinor, etiam tacente me, agnoscitis Serenissimum illum Principem ex gente toto orbe nobilissimâ oriundum, a Rege regum maximo procreatum, Regni omnium regnorum præstantissimæ hæredem nuncupatum, LUDOVICUM Franciæ Delphinum, in cujus luctuoso funere verba mihi hodierno die apud vos facienda sunt. Miserum me! cui argumentum incumbit ejusmodi, quod flendo facilius sit, quam dicendo persequi; in quo versari non liceat sine summo dolore; in quo dolori summo non liceat, quod natura suadet, flere.

Felicem me vel in tanto luctu! cui Princeps ejusmodi laudandus obrigit, qui omnium lacrymarum jam sit laudatus; in quo non compensanda sint magna

gna vitia magnis virtutibus, ut in Alexandro; non excusandæ ipsæ virtutes, aut virtutum usus, ut in Julio Cæsare; quem denique cum laudare nimis non possim, satis laudasse mihi videar, si Oratores inter, & Poetas qui tumulum ejus spargent floribus, obrepere mihi liceat, & lapidem tribus his brevioribus titulis inscribere:

FILIO. OPTIMO.  
PARENTI. OPTIMO.  
PRINCIPI. OPTIMO.

Talem enimvero, nisi me fefellit vulgi vox tam apud omnes certa, quam omnium una, talem se ipse suis moribus in omnium animis descripserat; talem vobis, Auditores, conabor illum effingere: dignum scilicet Patris amore Filium; dignum Filiorum amore Patrem; dignum Populorum amore Principem. Quibus veluti lineamentis tribus dum informabo ereptum Galliæ Delphinum; nolite tabellam expectare operoso elaboraram artificio; neque eruditi sumus ab arte neque artem novit dolor; amore & dolore regimur: laudem utrique, si placemus, si displicemus, utrique veniam concedite.

PRIMA PARS. **E**T si Filius, hoc ipso quia filius est, amore patris dignus est, maximè si ad communionem sanguinis accedat aliqua similitudo: nisi tamen paternum animum aliis nominibus demeruerit, non ego illum parentis amore dignum satis fuisse prædicavero. Habeat is sane in illa sua indole vel oris conformatione, unde illi placeat, cui similis est; sed ne id sibi gratiæ apponi postulet a parente, quod ipsius parentis donum est. Nisi forte imagini, quæ se ipse ad vivum

expresserit pictor aliquis, illud beneficii loco adscribendum sit, quod illum exprimat, a quo expressa est: cum in eâ tamen nihil ametur, quod non illius magis sit, qui amat, quam ejus quæ amatur. Aliud igitur liberos oportet exhibere parentibus, ut illorum amorem promeruisse censeantur. Quid illud autem? obsequium videlicet. Hoc enimvero illorum proprium est, hoc parentibus deferunt, & offerunt de suo, a parentibus non accipiunt.

Qua laude Ludovicum Delphinum ita excelluisse contendo, ut neminem, ne in privatâ quidem familiâ ubi pietas obsequentior est, superiorem habuerit, rarò habiturus sit parem. Nam quis illo fuit aut esse poterit in omni erga parentem obsequio promptus magis, aut magis religiosus? quis magis constans, vel pius magis?

Solent qui nati sunt imperio, imperandi leges a teneris addiscere, quia imperaturi sunt aliquando; obsequendi artem negligere; quia rarius neque diu obtemperaturi. Delphinus genitus ex Rege, Regnoque procreatus ita didicit obsequi, quasi semper obsecuturus. In parentem assidue intendit oculos, ut ab eo quidem regnandi morem acciperet; quod enim potuit omnis imperatoris virtutis exemplum absolutius inspicere? sed illum observavit multo magis, ut ex illius voluntate, voluntatem ipse suam fingeret, & ad ejus vota inclinaret.

Liberis plerisque dum crescit ætas, decrescit obtemperandi alacritas, quia gliscit imperandi libido. Delphino dum accederent anni, accedebat voluntas obsequendi prolixior. Erravi; nulla cum ætate accessio fiebat, quia primis ab annis cumulus accesserat.

Multi, ubi advenit illud votis expetitur, lege tandem definitum tempus, ut e potestate patria exeant; dum

dum sui juris esse nimium volunt, quæ sint parentum jura, vel ignorant, vel negligunt. Delphinus juris sui factus, paterni juris semper esse voluit; neque alia in re magis concessa potestate sui usus est, quam ut parentis potestati totum se permitteret, hoc libentius quo liberius.

Pauci, quibus jam contigit patres fieri, tum se suis parentibus morigeros præbent, rati hoc se visum iri minus patres quo se filios exhibuerint magis. Delphinus ter factus stirpis regis pater, & Regum parens jam nominatus, coram patre se prope oblitus est patrem; & se filium obsequendo nunquam testatus est magis, quam cum filios habuit sibi obsequentes.

In iis autem liberis qui obsequii laudem maximè ambiunt, quàm sepè ipsa perit obsequii laus, dum paterna imperia expendunt diligentius, & si operosa sint, segnius exequuntur. Non sic obsequitur Delphinus. Quæ patri causa est jubendi, eadem huic obsequendi ratio est; & penè plus morarum imperando facit pater, quam filius imperata faciendo.

Statuit Ludovicus Magnus constam Augustæ Vindelicorum, & imminentem Galliæ procellam auditorum in capita convertere. Eligenda manus est quæ tela torqueat; Delphini dextera eligitur. Dum loquor jam delicata Aulæ relinquit otia, jam Augustissimo Parenti, jam Serenissimæ Conjugi, jam Filiis charissimis deproperata dividit oscula; & moræ impatiens, quo jussus est convolat. Quis te autem rapit animi imperus, Princeps sapientissime? An fatis exploratum habes quam difficilis data tibi sit provincia? scis quàm munita sit ingenio loci artisque præsidio arx illa, quæ prima tibi expugnanda objicitur? scis quàm laboriosa futura sit, quàm fortè dubia ejus expugnatio autumnali tempore, pluvio coelo & uliginoso solo?

Hæc omnia prævidit animo, Auditores; vidit, neque videndo retardatus est. Protificitur, si minus certus vincere, ac promptus obsequi: imo, quia promptissimus obsequi, ideo vincere certissimus. Illum adeo instar Aquilæ, quam Jovis administram fabulati sunt Poëtæ, illum rapidissimo volatu paterna portantem fulmina advertit Rhenus, & expavescit. Illum validissima concipientem mœnia sentit Philippo-burgum; & vaticinantibus falso Batavis, atque solutam vel prope diem solvendam oblivionem totâ Europâ buccinantibus, victorem expleto nondum vigesimo die laceris mœnibus accipit. Illum fulgurantem conspiciunt Francodalia, Manhemium, tonantem audiunt Spira, Oppenheimium, Wormaria, & corruunt. Illum patriis ingredientem vel potius currentem vestigiis horret Germania, obstupescit orbis; quid ultra? Ludovicus Magnus admiratur. His onustus Germaniæ spoliis paternos in amplexus revolat, carus magnitudine victoriæ, carior fortitudine animi, obsequii celeritate carissimus.

At enim fuisse tunc in obsequendo celerem, quæ tanta laus? Jubebatur vincere; magnum generoso Principi obsequii invitamentum. Magnum fateor, & quidem tantum, ut qui semper bella administrare jussus fuerit, diu multumque obsequendo, nondum bene obsequendi voluntatem probaverit. Facile est obsequi, cum imperium jubetur. Dulce est uni parere, ut tibi pareant plurimi. Atque haud scio an non obsequendo, cupiditati pareas magis tuæ, quàm alterius voluntati. Quæ igitur ratione certum feceris studium obsequendi tuum? si tam placide imperium dimiseris jussus, quàm alacriter susceperis. Hæc ignota tibi fuit obsequii ratio, Corneli Sylla; hæc tibi, Juli Cæsar; hæc vobis, multi ex omni memoria Principes, qui assuetudine imperandi, parendi morem estis dedocti. Hæc tibi nota, Serenif.

tenissime Delphine, & eò laudabilis quo diutius usurpata.

Recordamini enim verò quot & quanta bella gesserit Gallia, ex quo ille militiæ laboribus per ætatem par, victoriæ per fortitudinem & prudentiam idoneus repertus est. Cogitate quibus interea bellandis ardoribus flagrasse credibile sit Principem ex illo creatum sanguine, qui Martiis ignibus semper efferverit; Filium ex illo progenitum Patre, qui bella ad omnium ætatum memoriam insignia confecerit; Delphinum, qui se regendis Gallis populorum omnium bellicosissimis destinatum esse cogitaverit; Heroem, qui sibi ingenitæ & victoriis jam approbatæ fortitudinis conscius fuerit. In his tot tantisque exercendæ virtutis bellicæ incitamenti ita exarsisse cupiditate gloriæ, ut illam non exstingueret quidem, quod non decuit; ut illam significaret interdum, quod licuit; sed arbitrio Ludovici Magni fortissime contineret: vestram fidem, Auditores, id quantæ, quàm inauditæ, quàm singularis in obsequio religionis fuit?

Laudetur, per me licet, Alexander ille triumphandi adeo cupidus a puero, ut patriis triumphis illacrymaret. Mihi quidem Delphinus hic noster, iam vir, iam imperio maturus, iam imperiis bellicis clarus plus videtur fecisse tandiu cessando, quàm si certando sæpius vinceret; & major extitisse, dum patriâ in umbrâ conquiescit egregiè otiosus, quàm si splendide animosus in castrensi pulvere exultaret.

Cedite ergo, gestis impertiis nobiles, dimissis nobiliores Cincinnari, Serrani, Colatini; cedite. Vos a castris ad agros, a scipione eburneo ad stivam aratri reverbos contemplari olim juverit; nunc majori spectaculo defixos oculos tenet Heros fortissimus, idemque cessare promptissimus. Cessastis ab imperiis, sed cives ac pene rustici; ille Regis filius, & finerent

finerent fata! regnatura. Cessastis pacarâ Româ; ille bella inferente vel sustinente Galliâ. Cessastis ut coleretis agros, sic exigebat dura necessitas; ille cessavit ut patrem obsequio coleret, hoc una suadebat pietas. Cessando voluistis egregium modestiæ monumentum in Republica ponere; hic documentum obedientiæ maximum in eo regno voluit tradere, ubi unum imperare omnibus necesse est, omnes uni obtemperare: ubi quandiu obtemperaret ipse, obsequium reliquis facile persuaderet exemplo suo, atque illud quodammodo imperaret.

Quam juvat itaque illum otiosè intueri, nunc in fecessu Meudoniaco paternos fastos memoria recolentem, in paternis victoriis obstupescentem, paternæ gloriæ nihil invidentem, paternæ felicitatis studiosum, securum suæ; nunc Versalicis in hortis vel ædibus pendentem è patris nutu; patri omni officiorum genere se approbantem, cum ipsis proceribus de obsequii laude dimicantem. Quamquam non potuit de illa certare cum aliis, qui, quantum cæteros antecederet conditione nascendi, tantum & excellentia obsequendi superaret. Illi videlicet obsequuntur ut aucupentur gratiam; hic ut rependeret. Illi ut placeant Domino; hic quia sibi Dominus in patre placeret. Illi plerumque ad tempus; hic omni suo tempore: quæ rara laus; addo & omnibus Ludovici Magni temporibus; quæ laus filii patrisque fuit multo maxima.

Etenim si patrem eo solum coluisset tempore, quo ad patris voluntatem prospera fluere omnia; cum Galliam ille novis in dies accessionibus amplificaret, Europam nominis sui terrore impleret, Africam fulminibus quateret, Americam coloniis auferret, Asiam classibus obiret; cum belli pacisque arbiter, ubique victor, ubique felix, ubique magnus,

jura

jura populis; pacem hostibus; hospitium Regibus; Reges orbi concederet; magna quidem vel tunc fuerat obsequii laus; crescente liquidem patris majestate & ipsa filii dignitas creverat: sed pace tamen dicam tuâ, Serenissime Delphine, si tanta semper fuisset imperantis fortuna, fuerat aliquâ ex parte minor obsequentis gloria. Præclarum fuit, sed proclive illi obtemperare, cujus non imperiis modo, sed votis etiam terræ mariæque obsecundarent. Eriam si tunc minus parentem in Rege, at certe Regem in parente coleres.

Verùm lætissima illa tempora exceperunt maximæ & turbulentissimæ tempestates. Ex Oceano Anglico, ex Baravicis paludibus emissi sunt vapores densissimi, qui solis Gallici splendorem atra caligine obscurarent. Aquila Germanica, quæ accisis & laaceris pennis debilitata jacuerat, refecit vires; & audacior volatu sese exculit. Regiones, quæ sæpius hostili, nostro postmodum sanguine maduerunt. Hostes, qui longo usu vinci assueverant, suis eruditi claudibus didicerunt vincere; & sicuti nos antea victores sui, ita victos a se multo magis obstupuerunt. Quæ subita rerum conversio ex quo fonte derivata sit, neque vacat scrutari altius, neque licet: at illud jure mihi posse videor asseverare, in dubia illa & calamitosa tempora ideo Ludovicum Magnum incidisse divino consilio, tum ut novum laudis genus traheret ab adversis rebus, qui a secundis gloriam ultra non posset accipere; tum verò ut dum æquabilitas ejus in utraque fortuna probaretur orbi, ipse indeclinatam in obsequio Filii constantiam experiretur. Et verò expertus est. Qui enim parentem, non parentis felicitatem coluerat, eundem coluit minus felicem, non minus magnum: neque observavit aliàs reverentius, aut obsequio & admiratione digniorem judicavit, quam cum ille tenebris offundi visus est. Illorum

F 4.

impiana

impiam scilicet piè imitatus est reverentiam populorum, qui solem, si quando defectionem aliquam patitur, contemplantur curiosius, admirantur vehementius, religiosius venerantur.

Nullam itaque nobis formidinem rerum in Gallia novarum, nullam hostibus spem calamitates nostræ obtulerunt. Non timuimus ne procellosis istis temporibus caput exeret sol alter, qui populis laborantibus malignam lucem ostenderet, & provincias funestis ignibus inflammaret. Non sperastis, hostes Gallix infensissimi, revocanda apud nos tristissima illa tempora, quorum meminisse horret animus: \* cum Delphinus ille, antea regnandi libidine quàm ingenii calliditate notus a Rege & parente optimo ad hostes paternos defecit, & suos, malecautus transfuga; & perduellionis exemplum detestandum omnibus, auctori suo insaufum edidit. Non tentastis, quamvis certi intentatum nihil relinquere, non tentastis, quod sæpe Romani tam impiè, quam feliciter aggressi sunt, accensum cupiditate imperii Filium a paternâ voluntate distrahere. Sciebatis Delphinum esse in Galliis, qui Regem inter & populum staret veluti medius, sed ut nexu firmissimo utrumque conjungeret, non ut alterum ab altero dissociaret. Intelligebatis hunc esse jamdudum habilem regno, sed regni tam parum appetentem, patris tam amantem, ut nihil unquam formidasset magis, quàm ne regnum etiam jure, hoc est, tristissima fati lege sibi contingeret.

Quo loco finite me, quæso, Auditores, repetere memoriam illius temporis, quo tempore universa cum Ludovico Magno decumbere visa est Gallia; & hoc timuit anxie, ne sibi a Deo propitio Rex datus, ab irato Deo reposceretur. Mcerorem si habe-

bis

\* Caroli VII. filius, dictus postea Ludov. XI.

bit præteriti meritis recordatio, habeat & revocata Delphini pietas oblectationem. Nam quis illius in communi Gallix trepidatione sensus fuit? idem qui Gallis omnibus. Fallor: non timebamus ne regnaret ille, sed ne Ludovicus Magnus regnare desineret. Timebat ille ne regnaret, quia regnum adipisci non poterat, quin patrem regnis omnibus cariorem amitteret. Ergo nunc patrio affusus toro, quem irrigat lacrymis, nunc suppliciter effusus in Templo, quod implet votis, orat: quid? ne regnet; & pro Parentis capite, cui mors videtur imminere, offert vicarium illud caput, cui diadema regium impendere proxime videbatur. O amor! O pietas!

Non ego tibi, Ludovico cognomento Pie, gloriosam istam appellationem invadebo. Illa non potuit non jure concedi, quæ ab æquissimo parente Carolo Magno concessa est. Tibi merito gratulatus es patrem, virtutibus quam nomine majorem: sibi merito gratulatus est Carolus filium, patris quam regni amantiorem. At profecto æqua fuit, si non potior, & Ludovico Delphino de Patris magnitudine, & Ludovico Magno de filii pietate sibi gratulandi ratio. Gratulare igitur tibi, Ludovico Magne, Filium ita promptum in obsequio, ut uni tibi placere, sive agendo, sive etiam cessando, festinaverit; ita religiosum, ut res nulla, ne ipsa quidem victoria, quin tibi placeret, ipsi placere potuerit; ita constantem, ut ab instituta officii ratione nullis neque suis, neque tuis temporibus deflexerit; ita pium, ut sibi speris regni proximam, quam Regem eripi maluerit. Filium denique te Patre, tuoque amore dignissimum tibi gratulare.

Tametsi quid ego imprudens lætam gratulationis vocem tuis luctibus infero? Luges enimvero quem laudamus filium, Rex Magne, & aperte, lu-

208.

ges. Neque, ut ille Romanorum Imperator, \* aut credis inferius esse maiestate tuâ palam lacrymari; aut metuis ne lacrymæ si testes habeant, falsæ videantur. Ille etiam dolet verè qui cum teste dolet, si amorem antea quam dolorem testatus es. Et certè antea te probasti amore patrem, quàm dolore. Neque illos imitatus est, qui tum se demum patres significasse esse, cum patres esse desierunt. Te amantissimum sui expertus est Delphinus & incolumis, & moriens, & si mortuos tangunt lacrymæ, etiam mortuus. Fuit ille itaque, vel Patre iudice, dignus Patris amore filius. Idem fuit, testibus liberis, dignus Filiorum amore Pater. Alterum laudis & luctus argumentum.

**SECUNDA PARS.** **G**Audent præ cæteris hominibus Reges & Regum liberi, cum generosæ prolis facti sunt parentes: non quia suæ sint amantes prolis, præter cæteros; sed quia terrarum orbi Dominos amant ponere. Ludovicus Delphinus ter virili sobole augeri se gavifus est; & quia Patrem ter avum fecerat, & quia populis dominos vel potius parentes genuerat; & quia sibi paraverat liberos, quibus paternum amorem posset impendere. Et vero ita impendit, ut nihil, quod patre dignum esset, Principem indignum putaverit. Non repudiavit itaque suavissima illa & plena pietatis nomina, quæ ad significandam communionem sanguinis natura ipsa reperit, quæ ventosa Procerum superbia respuit, & titulis grandioribus obruit. Non puduit vocari quod erat, & dici patrem; neque pœnituit esse & profiteri se patrem, uti vocabatur. Quoties adhuc parvulos & reptantes in cunabulis pueros suscepit in manus, & illorum absterfit lacrymas, ut & ipsi populorum discerent aliquando fierus abstergere? Quoties puerili gaudio exultantibus arrisit

\* Tiberius, *Annal. Tacit. lib. 3.*

regaliter, ut scirent plebis fovere gaudia & facere? Quàm blandè illos excipit osculis e Germania redux, & laureato capiti passus est alludere, ut affuissent amare lauream segetem, & colligere? Sic Hector Astyanacti libabat oscula; quanquam dispari uterque fato & omine. Hic vincendus, ille victor; hic soboli cum Troja brevi perituræ, ille proli victuræ longum, & leges utrique orbi ac Reges daturæ.

Parentum in liberos amor æqualis esse debet, sed non usquequaque similis. Impertendus est singulis pariter, sed variè pro varia singulorum indole significandus. Hanc paternæ caritatis legem Delphinus pater in amando tenuit; & leges amori posuit, qui iura dare solet, non accipere. Liberos tres, dum adolescerent, felici advertit esse natos ingenio, sed plane diverso; sic dispensante Deo nimirum, cujus in concedenda multiplici prole enituit bonitas, in fingenda & variè adornanda eluxit sapientia.

Quem enim illa primo loco genitum destinavit regno omnium primario, huic virtutes quasi primarias indidit: ingenium videlicet acerrimum, excelsitatem animi singularem, studium pietatis ardentissimum, amorem æquitatis inexpugnabilem, severitatem morum sanctissimam, aliasque dotes, partim ipsi cum Patre & Avo communes, partim ipsius ita proprias, ut Deus miraculorum effector tam varius quàm potens, duos in avo & nepote Reges videatur comparasse, qui ambo forent summi virtutibus, sed diversi; dicerenturque aliquando suppare, nunquam similes viderentur.

Qui vero abstrahendus erat Francorum amoribus, ut Hispanis concederetur, populis naturâ cultique gravissimis, huic divinitus concessa est tam constans & æquabilis indoles, ut possit cum illis de  
gravi

gravitate morum certare, certando vincere, vincendo amari. Addita eidem est non minor animi quam vultus constantia, ut in mobilitate fortunæ staret immotus, & inter casus rerum varios ipse sui usquequaque similis cerneretur.

Qui tertium denique nascendi gradum obtinuit, illius animum sic temperavit Deus, ut habeat in se suisque virtutibus, & unde possit regno carere sine tædio, & regnum, si fata dederint, cum laude retinere.

Hæc diversa liberorum ingenia vidit Delphinus, & ex illis amoris paterno moderari didicit. In severiore blandam severitatem amavit severius, in graviore placidam gravitatem placidius, in festiviora decentera hilaritatem festivius. Cum illo egit prope reverenter, cum altero comiter, cum tertio etiam familiariter, paternè cum singulis, & ad singulorum naturam accommodatè.

Amor Regum vel Principum in liberos sero beneficus esse solet. Dant regna & principatus, sed cum regno ipsi principatue exciderunt. Ludovicus Delphinus ante soboli concessit scepra quam potiretur; contulitque amando, quod cæteri moriendo non tam dare, quam dimittere consueverunt. Nunquam oblivisceris, Gallia, illius legationis ad omnium ætatum prædicationem consecrandæ, cum illa tuis infensa tamdiù Regibus Hispania Regem a te Borboniâ de Gente flagitavit. Nunquam tibi animo excidet, Hispania, illius Regis largitio, qua illatas tibi clades redemit Gallia, neque tibi æterno fœdere conciliavit. At neque te, Hispania, neque te, Gallia, capiat unquam illius oblivio charitatis, qua Serenissimus Delphinus tot scepra, quæ sibi pro jure suo posset exposcere, filio spontè condonavit. Semper memineritis, quæ illius vox fuerit, cum rogatus ultrone  
Hispa-

Hispanicum Regnum soboli permetteret: *Satis*, inquit, *regnare mihi videbor, si Rege patre frui, si Rege filio latari mihi liceat.* O vocem pietatis in Patrem, caritatis in liberos eximia indicem! vocem inauditam sæculis prioribus, consecuturis omnibus audiendam! Illam audiat vel post fata Carolus ille Quintus non minus abdicato, quam occupato imperio nobilitatus, & secum de beneficentiæ paternæ laude posse Delphinum contendere fateatur. Hispaniam ille tradidit Philippo Secundo, grande munus, sed quod tradenti jam esset grave onus. Hispaniam & hic concessit Philippo Quinto nondum onus, aut certe quod nondum experto potuit videri suave. Dominatum remittit ille jam utendo satiat; hic omisit nunquam usus: tanto alter liberalior altero, quanto alter altero debuit esse regnandi cupidior.

Regna quia plerique Principes tunc tradunt liberis cum retinere ipsi nequeunt, ideo neque beneficium possunt tueri suum. Hispanicum Imperium quia tum Serenissimus Delphinus concesserat cum esset retinendo par, ideo, quoad potuit, tutatus est. Regnas, Philippe: neque te Austria potens fœderibus, Germania foeta militibus, Batavia pollens opibus, Anglia valida classibus, Lusitania armata odiis, Catalania instructa dolis & sceleribus spoliare scepris potuerunt. Regnas, tuis quidem nixus virtutibus, Hispanorum munitus benevolentia & fide, Ludovici Magni defensus viribus, at Serenissimi quoque Delphini suffragiis non mediocriter adjutus. Quanta superiore anno paternum pectus stimulavit cura, cum belli casu gravissimo jactatus, regiam moerenti & Domino suo viduam reliquisti; nisi forte, quemadmodum ubicumque Cato, ibi Roma, ita ubicumque fores, ibi regiam fuisse dixerimus? Quis ejus dolor, cum Aquilam belluis immanissimis comita-  
tam

tam in medio Hispaniæ sinu incubare audiit? Quam sollicitè operavit, ut optima ex rapacissimis unguibus præda eriperetur? Quis eripuit autem? Eripuiti quidem certè. At quo adjutore & administro? Vindocino, qui a te expetitus, a Ludovico Magno concessus, sed a Ludovico Delphino fuit impetratus. Fruere itaque vindicatis regnis, Philippe, quid tibi, quid tuis, quid Avo, quid Patri amantissimo de-beas, memor

An verò soli Philippo beneficium se præstitit. Pater optimus? Idem ejus profecto fuit singulos in liberos amor, eadem voluntas. Ter fieri Regem si licuisset sibi, tres ultro reges faceret. Et prope est ut fecisse dicam. Natu maximo dedit, ut & accepturus sit regnum Gallicum, & Hispanicum potuerit accipere: alteri, ut hoc acciperet: tertio, ut neutri neutrum regnum invideret.

Huic porro quid beatius conferre potuit, vel regalius? O si liceat ex Sereniss. Biturigum Duce quærere, quàm beatè dies solidos cum patre suavissimo traduceret, Regnum æquans vel superans opes animis, quia Patris exemplo virtutes suas nullis, vota sua certis finibus coerceret; quia ex Patre disceret in secundo gradu libenter consistere; nihil in regno præter Regis gratiam ambire; populorum mereri studia, & illa ad amorem Domini convertere; felicitati publicæ quantum decet, Regis gloriæ quantum licet allaborare! Quæ præcepta non tam verbis quàm factis tradita, Parente auctore & magistro hausisse, plus aliquid certe (dicam audacter) plus aliquid regno accepisse est. . . . Sed parcamus Serenissimi Ducis scrutari sensus, & exulcerare pectus, in quo tam clara, tam luctuosa imago Patris impressa est.

Quam fuerit dignus Filiorum amore Delphinus, satis dolore ipsi suo declaraverunt: qui ut sin-

guli totum, sed ratione diversa pro diversa indole, amorem parentis participaverunt; ita mortem ejus ægerrime singuli, sed variè tulerunt.

Hic magnè sibi conscius animæ in tam flebili casu animum intendere voluit ad firmitatem. Sed dum premit dolorem fortius, prope suo oppressus dolore est; & nisi eluctata erumperent tandem suspiria, periculum fuit (pietatem admirare, Gallia, sed contremisce) periculum fuit, ne, lugendo patrem, ipse nobis fieret alterum & æternum lugendi argumentum.

Ille acerbissimo parentis funere dejectus & exanimatus hoc primum affectus est nimium dolendo, ut nihil doleret. Mox redeunte animo, rediit mœroris sensus acrior. Nullum desiderio tam chari capitis pudorem adhibuit vel modum; neque paravit amantissimus filius indecorum sibi esse illum flere præter mortem, quem supra modum amavisset.

Doluisse ferius, Philippe, quia vulnera tua cognovisti tardius; sed non levius doluisti. Debuerat longinquitate locorum mitigari dolor, qui propinquitate solet exasperari. Sed quemadmodum nullis amor debilitatus fuerat intervallis, ita neque mœror. Flevisti, & lauros prælio superiore collectas lacrymis irrorasti. Fluentes per ora dolore fixa & graviter immota lacrymas vidit Hispania, neque tenuit suas: sibi Delphinum periisse credit, quem non semel fense-rat suum. Tecum flevit lugendum liberis patrem; nobiscum flendum populis Principem desideravit. Hoc vero nobis postremum ordine, gravitate primum doloris argumentum.

**TERTIA PARS.** Populorum amore dignum videri Principem magna laus, Auditores; & hoc major quo populi sunt ipsi magis laudabiles. Esi enim possunt amari boni Principes, populis etiam improbis; non possunt tamen optimis populis probari Principes non optimi. Qui-



Quibus ergo virtutibus ornatum fuisse dixerimus Serenissimum Delphinum, qui Gallis placuerit populis ceteros inter præstantissimis? Aut fieri quí posset, ut Gallis non placeret is, qui virtutes apud eos commendatissimas moribus tam insigniter exprimeret; Fortitudinem dico, Religionem & Humanitatem.

Galli, quia fortes ante alias gentes & bellicosi, ideo virtutem ante alias in Principe requirunt bellicam. Hanc in Setenissimo Delphino non tam multis, quam magnis argumentis probatam suspiciebant. Quam esset in impugnando acer & vehemens, viderant in illa Philippo-burgi expugnatione, ubi diurnis induratus laboribus, nocturnis indefessus vigiliis, maximis in periculis interritus, militis animos, ducis prudentiam, herois fortitudinem, Paris denique bellantis imaginem exhibuerat; illudque ab ipso milite virtutis æstimate perito, quia adulari nescio, cognomen *Audacis* acceperat, quod famosi illi bellatores, & periculorum emptores pretiosi, vix longo præliorum usu quondam invenerant. Quam toret idem in prævertendis hostium consiliis diligens, expertus erat imperator ille vetus & veterator Auriacus; qui Delphini celeritate incredibili calliditatem suam eludi, & Dunkercam votis animisque jam præceptam eripi sibi, non sine magno pudoris sensu, doluerat.

Abstinuit quidem postea ab armis Delphinus, sed famæ suæ securus abstinuit: quippe qui tam celeri cursu vel gloriæ fastigium attigisset; vel ostendisset nihil esse in re militari tam arduum, quo non posset pertingere. Cessavit ejus fortitudo, sed populis spectata fatigis; & hoc magis jucunda, quod ita ætiosa fuerat, ut esse posset otiosa, quod ita otiosa erat, ut ubi res exigeret, esse posset ætiosa.

Gallis illis veteribus maximam Religionis partem in armorum tractatione constituentibus laudari potue-

runt

runt

rint Principes unâ virtute bellicâ insignes; at his Gallis, Religionis Christianæ cultoribus eximii, nullus jam Princeps probari queat, nisi se ab religione sua probaverit. Cujus rei exemplo sis, Henrice Magne, qui tot regis virtutibus Galliam devincire tibi nunquam potueras, nisi te Catholica Fide ipsi adstringeres. Sic nempe induxerant populi animum, non posse sibi præsidii tantum a fortissimo Rege accedere, quantum periculi a Principe vel minus, vel male religioso immineret.

A Serenissimo Delphino sciebat nihil esse quod Religioni metueret Gallia. Ignoscite, pii ejus Manes, vosque ceteri viri Principes, ignoscite, si laudi appono nullam Religioni injecisse formidinem. Fecit multorum in excutiendis Religionibus temeritas & audacia, ut hoc vobis beneficii loco imputetur, si vobis colatur supremus ille Deus, a quo habetis, ut dii quidam aspestabiles videamini. Nihil metuendum fuisse dico? Quantum vero spei fuit in eo ponendum Principe, qui a Ludovico Magno, omnium Regum perinde re arque nomine Christianissimo, susceptus; qui a Maria Theresia, sceminas inter Principes multo piissima, in regni & religionis lucem editus; qui a geminis illis Cleri Gallicani luminibus, viris propter doctrinas politiores a profana illa antiquitate inter Deos, propter eruditionem sacram a pia illa vetustate inter sanctos Patres annumerandis, excultus; & a sapientissimo illo tam pietate quam armis insigni Montauserio institutus fuerit: qui ex vetustissima illa & religiosissima Bavarorum familia Annam Victoriam in conjugem, neque minus in virtutum quam in vitæ communitatem acceperit: qui nulla demum ætate suâ oblitus sit quam religiosus ortus parentibus, quam religiosus nactus moderatores & magistros, quam religiosa documenta combibisset.

G

Dabi

Dabitur mihi hanc veniam, Auditores, ut in laudando Principe ab ipsâ Religione populis commendatissimo, ea ipsâ præteream quæ dedit maxima suæ erga Religionem observantiæ argumenta. Illa persequendo, nihil eorum dignitati addiderim; omitteudo, nihil celeberrimæ detraxero. Neque enim deerunt Oratores sacri eloquentiæ laude præstantissimi, qui pro suscepti muneris partibus dicant, qua sedulitate incruento Altaris Sacrificio singulis vitæ diebus interfuerit: qua reverentia edule Christi Corpus sæpius in anno exceperit: qua pietate illud dum ad ægros defertur, profecutus fuerit; nunc Dei conviva, nunc comes: qua liberalitate templis ornatum, sacris templorum ministris mercedem addiderit: qua misericordia pauperum ægestatem solatus sit; ut in agro Meudoniaco & adjacentibus pagis vel nemo sibi videretur inops, vel inopiæ suæ neminem poeniteret: quam religiosè instituta Ecclesiæ auctoritate jejunia observaverit, sive in castris, ubi solis plerumque martis legibus paretur; sive in campis & silvis, ubi venandi studio collecta fames solâ vulgò ciborum penuriâ cohibetur. Hæc aliæque plurima commemorabunt alii: unum hoc ego dicam, tanto illum fuisse digniorem, qui a religione sua Gallis placeret, quanto ab illa Deo studiosius, hominibus ambiciosè minus placere voluerit.

Neque tamen aut illo suo Religionis studio, aut illa sua animi fortitudine populorum amorem impetraverat satis, nisi ad has virtutes, humanitatem adjungeret. Regem Vononem, quod a Romanis ad comitatem eruditus esset, a Parthis repudiatum fuisse nihil miror. Ignota barbaris, & ab illorum moribus aliena virtus facile vitii nomen & invidiam obtinuit. At nos Galli, ex quo facti sumus omnium humanissimi populorum, humanitatem exigimus ab ipsis

Regi-

Regibus, & pro jure nostro exigimus. Qui enim Reges plus cæteris gentibus colimus, amari a Regibus plus cæteris meritò volumus: quoque viros Principes veneramur magis, hoc sumus illis dedignandiminus. Hoc intelligebat Serenissimus Delphinus, tanto humanitate sua reliquis propior mortalibus, quanto dignitate sua illis excelsior. Neque vero timuit ille, quod multi, ne majestas comitate vilesceret. Hoc illi metuant scilicet, quibus ab ipso factu omnis accedit reverentia; qui si gerant se hominibus pares, nam jam Principes, vix homines esse videantur.

Itum animo timorem nunquam admisit Delphinus, non minus indole & virtute, quàm nomine & genere Princeps. Unum hoc timuit, ne timeretur; Unum hoc ambivit, ut amaretur; neque speravit extorqueri amorem posse auctoritate imperii, qui si imperari potest, sola humanitate imperatur. Hanc itaque virtutem sic coluit, ut illi virtutes inter Principatum attribueret, a qua Principatum ipsos inter Principes obtinere vellet, & obtinuit. Nam quis omnes humanitatis numeros perinde consecutus est, non simulationis arte, cujus fuit nescius; non verborum blanditiis, quarum parcus; sed voluntate, studio, totaque vitæ consuetudine, in qua non magis homo fuit, quàm humanus.

Quæritis, quàm fuerit aditu facilis? dicent omnes ex variis orbis partibus Legati, quos excipiebat ille perhumaniter; qui, cum illum uno Ludovico Magno minorem intuerentur, hærebant dubii, venerantur, an amarent magis; & hoc amabant magis, quo magis venerabantur.

Quæritis, quàm fuerit naturâ comis? Testes erunt Aulæ Procures, quos inter sic versabatur, ut, nisi emineret blandâ frontis majestate, æqualem æquales inter versari crederent.

G 2

Quæ

Quæritis, quanta fuerit in eo morum suavitas? Meminerunt qui in consuetudinem ejus recepti sunt felices amici; amicos dico, nomen vix audirum Principibus, huic nostro usitatum, quia cognita ipso usu amicitia.

Jam verò mansuetudinem ejus memorabunt quoscumque in comitatu habuit vel famularu; quorum ille serviebat felicitati, dum ipsius voluntati servirent; qui sub tali Domino nunquam se senserunt non esse liberos; qui si viveret se scirent beatos.

Beneficentiam ejus non filebunt viri bellatores multi, quibus ingens animus, res angusta: quorum ille clam & occultè sustentabat tenuitatem, ut auderent vivere; & honeste domi viverent, qui foris pro patria non metuerent fortiter mori.

Vos benignitatem ejus celebrate ex foro & macello plebejæ animæ, quarum nomen refugit orationis dignitas, quarum præsentiam non excludit Principis facilitas: quæ restitutam ipsi ex inopino casu sanitatem estis tam lepidè gratulatæ; quibus ille gratias egit tam festivè; quarum oblectationi famularæ sunt, illius jussu, aquæ illæ ab arte captivæ, solis Regibus, aut Regum proximis hominibus servire solitæ.

An vos quoque facilitatis ejus testes advocabo, rusticani & omnis generis conditionisque homines, quibus largissimè faciebat copiam sui, sæpe consistens in medio cursu, ut vestros oculos pasceret, & ipse lætitiâ vestrâ pasceretur?

Sed quid ego plura adhibeam testimonia, cum nihil sit ejus popularitate tota in Gallia, penè dixi toto in orbe, in universâ certe Europa testatius? Nam quæ loca contigit, quæ humanitatis vestigiis non impresserit? Quem conspectu dignatus est, quem non recreaverit? Quem alloquio impertitus

est,

est, quem non beatus erit? Quis vel eo absente, audito ejus nomine, non respiravit?

Titum alterum diceres, nondum humani generis delicias appellatum, sed jam factum. Et sanè nihil erat quod Tiro Delphinus invideret, tam Gallis amatus omnibus, quàm ille Romanis. Erat forsitan quod Delphino Titus invidisset, aliis quam hic artibus & opibus amorem populorum consecutus. In illo enim potestas beneficiendi infinita, in hoc definita cernebatur. Potuit ille iraque subvereri ne, non tam ipse quàm sua beneficentia, aut propter suam beneficentiam ipse coleretur. Non potuit hic contra vel suspicando dubitare quin & ipse, & propter unum se diligeretur, beneficia verò sua propter ipsum.

Sed nihil fuerit quod alter alteri invideret. Ad nobis quantum est quod ut illum Romani, ita hunc Galli subito fato præreptum lugeamus! Quamquam & illum populi nunquam flevisset, si non imperasset, qui antea imperium quam studia populorum adeptus est: & nos hunc flemus, qui nondum Regnum, jam omnium amores obtinuerat. Qui si regnavisset aliquando, talem se nobis præstaret Regem, qualem se Principem exhibuerat privatus; qualem se futurum esse præsignificaverat, Regem scilicet regnandi peritum, qui diuturno obsequio imperandi artem esset edoctus: Regem bellicosum, sed qui bella non appeteret, nisi lacerasset: Regem pacificum, qui pacem ultro annueret, sed exoratus: Regem clementem, qui, cum posset omnia, nihil tam in potestate quàm iracundiam haberet: Regem popularem, qui caritate magis quàm auctoritate imperium in populos retineret: Regem denique dignissimum Patre, a quo regnum accepisset; dignissimum Filio, cui illum relinqueret; dignissimum populis, quos regeret, quos amaret, & a quibus amaretur. En adeo qualem fore Delphinum

speraverimus; neque spes nostras ille falleret deinde, si non vitam ejus nostramque expectationem mors immatura præcideret.

Nam cur (da veniam justissimo dolori, Deus immortalis) cur ille tam citò nobis ereptus est, qui si vitam pro vita pacisci liceret, nunquam fuit eripiendus? Audita primum ejus ægrâ valetudine timuimus omnes; quia in iis quos amamus, omnia, tuta etiam timemus. Sed tamen spe timor superabatur. Credimus intentari huic periculum, ut quantum in eo periclitaremur ipsi, magis intelligeremus. Solet enim sua Deus beneficia commendare periculis, & illa interminari se repetiturum, ut fiant ipso perditum metu pretiosiora. Hoc in Ludovico Magno non semel, hoc in ipso Delphino eramus non ita pridem experti, maxima trepidatione in ejus morbo, effusa post gratulatione. Parem animo præcipiebamus lætitiâ in recenti discrimine, quia paria vota parem exitum habitura credebamus. Sed ô vota nimium credula! Ecce repente nihil tale suspicantibus auditur tristissima illa vox: *Delphinus vixit.*

Qua voce, quanta subito diffusa est ubique mortificatio! Non citius vento delatæ nubes obscurant serenam cæli faciem, quàm nuncius ille acerbissimus longe lateque disseminatus Gallix frontem obnubilavit.

Oriebatur lux prima, cum de morte Principis optimi nunciatum est: sed nocte visa est horridior lux illa, quæ extinctum Regni Solem alterum ostenderet. Continuo luctus in intima domorum subit, neque tamen reliquit plateas & compita: penetravit in omnium animos, & frontibus omnium infedit: divisus est in cives singulos, neque divisione sui imminutus est: publicus fuit communitate suâ, acerbitate suâ singularis. Unus vir occiderat, omnes tibi videbantur periisse; quia perierat ille, cui se natos ef-

se gaudebant omnes, qui se omnibus natum esse judicaverat. Raptus erat Princeps, repetebatur Pater, quia Patrem in Principe amiseramus; Patrem omnes, nos (fas sit dicere sine invidia) nos etiam Patronum, qui Societatem nostram multis nominibus Borbonicæ genti additissimam, suâ singulari benevolentia sibi artius devinxerat; quique amando nos non fecerat quidem ut essemus sui, quod & jure suo & sponte nostra eramus, sed ut ipsum esse nostrum nobis merito gratularemur. Luximus igitur & cum cæteris & præter cæteros, quem cum cæteris, & præter cæteros debuimus colere & coluimus.

Nemo in tanto luctu solatio non indiguit; solatium quæsitum nemo, quia reperire se posse nemo credidit. Neque ego vobis offeram, Auditores. Habemus equidem in Rege Patre & Liberis superstibus, unde nobis invident omnes populi, unde nullis invidemus. Sed & hæc habuimus cum Delphino, & cum his Delphinum non habemus. Nulla est nobis facta boni accessio, facta ingens decessio est.

Tu nos illum invidisti, Deus juste, quo vivo, & incolumi videbamur nondum castigati fati, forte etiam nimium superbi. At nunc, ô nunc saltem placare Gallix! Si accensa nostris sceleribus ira faciri debuit sanguine, quantum dedimus? si lacrymis, quantum fudimus? si magnâ hostiâ, quantâ tibi modo victimâ litatum est? Sat multa e tuis repetiisti dona, serva quæ supersunt. Serva Ludovicum Magnum conservatorem illum religionis eximium: Serva nepotes, carissimas amissi Parentis imagines: Serva illum Delphinum, qui modo Patris in nomen & jura transiit, in virtutes jampridem transferat. Olim regnet ille diu, sed serò; qui neque maturius propter suas, neque propter Avi virtutes, serius potest Regnum capeffere. Dixi.

REGI CHRISTIANISSIMO  
**LUDOVICO XV.**

REGNI MODERAMEN CAPESENTI

GRATULATIO

HABITA VI. KAL. MARTIAS ANNO MDCCXXIII.

In Regio Ludovici Magni Collegio  
 Societatis JESU

AB EODEM PORÉE.

**I**LLUXIT ergo felix, faustus, fortunatusque dies, quo LUDOVICUS BORBONIUS, ejus nominis REX XV. annum ætatis ingressus quartumdecimum, & annos pupillares egressus, aspirante cœlo, plaudente Gallia, Regni capeffivit moderamen, & regie dignitatis fastigium attigit, Cardinales Eminentissimi, Illustrissimi Ecclesie Principes, Excellentissime Sedis Apostolicæ Nuncie, Illustrissimi Præsides, Amplissimi Senatores, cæterique omnium ordinum Auditores ornatissimi. Scilicet ut reliquis mortalibus, sic & Regibus sua per gradus venit felicitas. Nascuntur illi quidem Regno, & magnum ab ipso vitæ exordio fatum accipiunt: sed ita jacent in purpura reges futuri, ut se nondum sciant esse homines. Illa deinde succedit ætas, qua se nosse incipient, & se regnaturus aliquando sperent: sed antequam imperent, diu plerumque obtemperandum est; seroque illud bonum advenit, quod cito nimis advenire non possit creditur.

Alio

Alia quidem Ludovici XV. fortuna fuit. Natus ad Regnum quinto post Ludovicum Magnum loco, primus ad solium pervenit, & solus: atque se hominem ut primum sensit, se agnovit & Regem; sed ita Regem, ut Regno moderando esset impar; neque solum non regeret voluntate sua, sed etiam alienam regeretur. Addita sunt huic nuper solemnibus ritu, magnifico apparatu omnia regie auctoritatis insignia; sed ipsa nondum tradita fuit auctoritas: magnum quidpiam ad summam potestatem defuit, quod nulla pompæ magnificentia potuit addere; quod unus dies, una hora, unum temporis punctum dedit, ætas videlicet ad gubernandum Regnum idonea, & legibus definita.

O lætum igitur Ludovico diem illum, atque haud scio an totius anteaetæ, imo & agendæ postea vitæ lætissimum! Festivus is equidem dies, quo editus est in lucem; sed tota ejus diei lætitia manavit ad populos, ad eum non pervenit: flebat ipse, dum Gallie faciem ortu suo exhilarabat. Insignis ad memoriam alter ille dies, cum in defuncti proavi locum susceptus, Rex primum saluari cæptus est; sed gaudia nondum bene capiebat Rex infans; & in mœto aulae atratæ spectaculo mœroris erit magis, quam gaudii capax. Jucundus ille dies postea, cum exacta infantia e matronarum manibus in virorum manus translatus est: sed quam dulce fuit in Moderatore Nestorem, in Præceptore Appollinem reperire; tam acerbum erat in sapientissima Moderatrice amittere Minervam. Dies hic demum splendidus, cum variis insignibus Regiis ornatus est; sed illa tot insignia, non tam quid esset, aut haberet designabant, quam quod futurus erat postmodum, & proxime habiturus.

At verò quo ille die ætatem lege præstituram adeptus est, eodem ipso & uno die munera ab ætate

duo

duo acquisivit, & planè regia, & verè præsentia, & majora præteritis, & a quibus futura pendeant omnia; usum Regni dico, & potestatem sui. Quo usu, sive dominatu Regni, (idem enim utroque verbo intelligimus) quo inquam usu Regni, qua potestate sui, jam Regni omninò dominus, jam sui omnino potens esse intelligitur. Hoc itaque munus ætatis geminum Ludovico XV. parte orationis geminà ita gratulamur, ut in alterà qualem regni dominatum, in alterà qualem sui potestatem acquirat, vobis audientibus, & pro vestro erga Regem studio faventibus, exponamus.

**PRIMA PARS.** Bonorum usum, sicuti dat pupillis ætas diversa, pro more gentium diverso; ita diversum facit ipsa diversa ratio bonorum. Privatis bonis sic per ætatem uti licet, ut illa vel retineas, vel alienes; & arbitrio commures, vel absumas tuo. Atque hic vulgò patrimonii usus esse solet; qui nisi certa lege temperetur, non jam usus est, sed abusus rei optimæ pessimus.

Non idem est planè regni usus, Auditores. Plus aliquid habet, & aliquid minus: minus dat in alienando juris; si perendi licentia jus verè dici potest: plus autem confert in regendo auctoritatis. Quà in re positus est usus Regni verus, tanto melior, quanto divinæ propior dominationi, quæ mundo utitur, non ejus dominium abdicando, quod omnino fieri nequit, sed illum auctoritate summa gubernando, qui usus est Imperii optimus.

Hoc igitur major Regni usus ab ætate Regi evenit, quo majorem is acquirat in Regno auctoritatem. Ubinam verò gentium major, quàm apud nos, Regis auctoritas? quæ non communicatur cum plebe, & hac communicatione plebeja fit, aut certe

minus

minus regia est, (ut apud illos populos, qui Reipublicæ imaginem in regno ipso retinere volunt, & divisum cum Regibus imperium habere) quæ participes non admittit optimates; & hac partitione tantum regi detrahit, quanto primoribus attribuit; multosque faciendo pares, ipsum fermè tollit superiorem (ut fert consuetudo apud illas gentes, quæ suos Reges eligunt; & suffragia suæ regis auctoritatis imminutione vendunt): sed quæ tota unius capitis est, & in uno residet; & ab uno profecta ad unum revertitur communicata sine diminutione, impertita sine divisione, ac denique auctoritati divinæ, in summâ inæqualitate simillima.

Nimirum ut Dei auctoritas in universo mundo universa & infinita est; sic Regis Galliarum auctoritas toto diffusa regno est, non infinita quidem, sed solis regni terminis definita.

Sicut in rerum naturâ Deus auctoritatem habet summam, nutuque suo terram quatere, maria miscere, cælum armare, & vitæ mortisque vices mutare potest; ita Francorum Rex summam obrinet in omni publicâ re auctoritatem; & leges condere, bellum indicere, pacem componere, fœdera sancire, cum libuerit, potest, ipsique adeo vitæ ac mortis imperare.

Auctoritas Dei ubique præsens, non oculis, sed animo cernitur; ubique conspicua non in se, sed in naturæ speculo, in quo aspectabilis est pariter ac venerabilis. Et Regis auctoritas ubique se conspiciendam exhibet ac venerandam, non in se, sed in suis ministris; ubique præsens oculis; ibi quoque conspicua, ubi Rex non conspicitur.

Illud habet præterea divina auctoritas, quod perpetua sit; tamque æterna, quàm ipse Deus æternus est. Simile quid habet auctoritas regia; perpetua quodam pacto est; tamque diuturna, quam Rex ipse

diu

diu spirare potest. Dum ille valet, ipsa viget; etiam illo decumbente stat; eo silente imperat; nec ante deficit, quàm deficiat ipse, & vivos inter numerari desinat.

Ista tibi, Ludovice, ab ætate venit auctoritas, immensa toto regno, summa sine modo, ubique præfens vel te absente, perpetua te manente, nec ante te interitura. Tali tantæque auctoritate magnus fores vel in parvo regno; quoniam vel in parvis multum posse magnum est. Quid ergo in tanto imperio, quantum tibi a natura datum, ab annis utendum conceditur?

Fac enim regali sorte natus, quod in re privata facere solent pupilli jam bonorum facti compotes; qui prædii, quod sibi obtigit, mensuram, situm, opes, curioso & diligenti oculo circumspiciunt; Regni cuius affectus es usum, naturam & dotes paulisper animo recognosce. Illud metire non vastum cum laxitate, sed magnum cum amplitudine; nec latius patens vel longius, quàm ut ab uno contineatur domino; sed fufum quantum satis est, ut dominum longè, latèque imperantem contineat, & unius dominatu coercetur.

Illius observa situm; illud aspice in Europa terrarum parte nobilissima sic positum, tamquam ejus cor vel oculum; gemino conterminum mari ad facianda commercia, non illo circumdatum undique, nec veluti carcere inclusum; imperans Oceano, sed non contra leges naturæ domito, neque a Pelago vindice metuens agris & urbibus diluvium; regnis præcinctum adjacentibus, non arcaturum illorum ambitu, sed quasi coronatum.

Illius contemplare cælum, amœnum, salubre; non crassis obductum nebulis, sed plerumque luce pura diffusum; non vaporatum nimis ardoribus,

non asperatum immodicis frigoribus; sed accessu recessuque solis modico, alterna vice, temperatum.

Illius explora solum naturâ suâ fertile, si accedat cultura solers; ac, si satis accipiat, abunde redditurum; nec modo suffecturum ad omnia vitæ necessaria, sed ipsis quoque deliciis serviturum; non pretiosi quidem metalli ferax, sed earum dives rerum, e quibus auri tantum argentique colligat, quantum ditandis omnibus ejus incolis satis fuerit; si quid splendæ quorundam hominum avaritiæ foret satis.

Illius attende nobilitatem, antiquitate suâ insignem, suis clarâ triumphis, suis illustratam heroibus, suâ celebrem famâ; non multa ambitiosè computantem regna, sed vel uno regno ipsa imperia superantem.

In primis verò ejus incolarum, qui sunt in omni regno pars regni maximè spectanda, indolem & mores intuere. Illum vide populum ut vultu, sic animo candidum; ut corpore, sic ingenio elegantem; ut pacis, ita belli artibus idoneum; fortem, sed sine feritate; magnanimum, sed sine jactatione; callidum, sed sine astucia; prudentem, sed sine tarditate; levem fortasse quidem, sed in levibus; mobilem, sed in ludicris; stabilem verò in fide; constantem in amore Principum; liberrimum in obsequio suo; & in libertate sua obloquentissimum.

Qui præstantissimi hujusce regni dominatum accipiat, quis eum Reges inter neget esse fortunatissimum? Quis eum miretur ab Anglico scriptore nostræ laudis æmulo, sed veritatis conscientia victo, non Regem duntaxat, sed Regem Regum nuncupari? Quis non ignoscat sapienti cujusdam Germanorum Imperatoris delirio affirmantis, *Se, si Deus ipse sit, & plures genuerit liberos, sibi quidem reservatum esse cælum; Regnum verò Gallia, Filio natu majori concessurum.*

*surum*. Agnoscat igitur Ludovicus quantum sibi munus collatum sit a beneficentissimo omnium Imperiorum Largitore Deo, qui tantum ipsi regnum æterno consilio destinaverit: sed neque ignoret, quid Tutori sapientissimo debeat, per quem tale Regnum tali constitutum modo receperit, pacatum videlicet intus & foris, magnisque foederibus confirmatum.

Miseret nos & meritò juvenum, qui e tuorum manibus dimissi hereditatem adeunt optimam quidem, sed litibus implicatam; hoc est qui bonum suavissimum accipiunt malo inquinatum acerbissimo. Eadem prope conditio est pupilli cujuslibet Regis, qui tutelæ suæ factus, regnum capeffit discordiis lacertatum civilibus, aut bellis hostilibus agitur. Magnum certè beneficium a tutore habet ille Rex, cui regnum omni tumultu vacuum obtingit; beneficium, inquam, magnum, & eo majus, quo singulare magis, & in Gallia minus usitatum.

Nescio quæ mala nostros Reges, dum pupillari ætate sunt, urgeat fortuna: sed illorum infantia pleurumque motibus domesticis miserè exercetur. Regnum Gallix (si amplia licet angustiis componere) haud absimile dixeris apud Reipublicæ; in qua, ut observat Poeta, \*

. . . . . *Rege incolumi, mens omnibus una est:*

*Amisso, rupere fidem . . . . .*

Quandiu Rex apud nos perstat incolumis, mens una est omnibus Regni ordinibus; & omnes in commune consulunt. *Amisso Rege*, continuò fermè gens omnium fidelissima *abrupit fidem*; & distractis animis in factiones abit toti Regno, Regique pupillo exitiosas. Tunc nempe auctoritas regia vinculum pacis firmissimum, dum in alienas, & sæpe foemineas, traditur manus, roboris multum deperdit ac reverentiæ. Non

\* *Virgil. lib. 4. Georg.*

facilè viri, nec spontè obtemperant foeminae; quæ ut Regina sit, & Regis Mater, quia tamen foemina est, colum tractare quàm sceptrum magis videatur idonea, nec fatis huic regendo abilis imperio; ubi (quomodo tritum fert adagium) *Lilia neque laborant, neque nent*.

Quòd si, ut vulgò fit, ac fieri prope necesse est, regia auctoritas e regali foeminae manu in vicariam administri manum transeat; sic illa robur acquirat a virili dextera, ut jam non debilis, sed rigida videatur: sic ei accedit pondus, ut Regni Proceribus ac præsertim viris genere Principibus sæpe fiat onerosa; & qui prius auctoritati regiae ulro subiciebant caput, jam ei cupidas manus injiciant. Inde conflictus exoritur gravis; dum tota ab eo retinetur auctoritas, qui totam accepit; & ab iis attentatur, qui sibi partem ejus aliquam deberi putant. Quæ tam Regni facies ventis seditionum spirantibus undique & foedam tempestatem glomerantibus! Quàm horrida nox, quæ interdum clarissima & Martis & Libræ sidera caligine sua involvit! Quàm maligna lux quæ viros quomque recti amantissimos a recto tramite deducit! Quàm sævi turbines, qui eductas coelo & in terris fundatissimas domos aliquando funditus evertunt! Quàm acerba interim, quàm indigna Regis pupilli fortuna, cui somnos abruptunt strepentiæ circum undique belli tonitrua; cujus oculos perstringunt excitata perfugus, si non timet ne pereat ipse; at quicquid perit, id omne sibi videt perire; & tempestatem intelligit, nec citò, nec sine magno Regni! suidamno descuram!

Caruit turbulentis id genus motibus Ludovici XV. pueritia; quàm rarò, tam felici prodigio. Auctoritas regia cum Regni gubernaculo huic commissa



missa est Principi, qui manu fortis clavum imperii valide stringeret, qui mente providus varias temporum conversiones prospiceret; qui, velut Rex Ithacensis, omnes ventorum animas in potestate sua positas haberet; qui ipse Ulysse vigilantior semper excubaret animo, ne quis male sollicitus ventis sedulo incluisis rimam aperiret; qui felicior eo Rege, quia prudentior, benignâ Zephyri aurâ constanter uteretur; sicque inter saxa & lyrtas cursum dirigeret suum, ut post longam & tranquillam navigationem portum denique attingeret incolumis, & navim sibi creditam in tuto collocaret.

Hæc tua, Philippe, laus prima, quod Ludovicus salvam ab omni naufragio & turbine civili Galliam recipiat; sed non laus unica. Quod illæsum ab omni parte Regnum, & ab omni hostium incurisione defensum præstiteris: hoc beneficium alterum est tuum, inigne prorsus & miraculo proximum.

Cum enim semper ad propagandum in vicinas terras imperium prompti & intenti sunt viri Principes; tum præsertim ubi Rex aliquis nondum ætate validus, suas ipse possessiones armis tueri non potest. Dat aliis belli causam, qui dat prædæ locum. Ab ejus infirmitate crescit hostium fiducia. Creditur facile deturbandus e folio puer, aut certe aliqua folii parte dimovendus, qui solum non impleat, qui minus firmiter in eo sedeat. Similis videtur gracili, & tenellæ cuiquam arbori, quæ fixa solo recens, nondum suis hæreat nixa radicibus; ac proinde trahentis manum secutura continuo fit, & loco migratura. Ipsum vero Pupilli Regnum, quamlibet natura sua validum, quia nondum Regis movetur spiritu, habetur pro inertis cadavere, aut semianimi corpore, quod alitibus, & belluis escam offerat sine labore, sine periculo diripiendam.

Hinc adeo Gallia, cum infirmo Rege suo infir-

ma, vidit non semel nunc Pardos exertis dentibus, nunc Aquilas rostris hiancibus, simul Leones stricctis unguibus irruere magno imperu, nec de occupanda, sed de partienda inter se præda laborare. Sua quidem animosas, & rapaces feras sæpe delulit aviditas; & quæ ad exhauriendum Gallie sanguinem ore patulo adveniant, ore sicco, nec corpore integro recefferunt. At sæpe quoque nostris crudeliter illuserunt provinciis; neque in sua se cubilia prius receperunt, quam aliæ nostro cruore rictus lavissent immaniissimos; aliæ nostris diu incubuissent affixæ visceribus; aliæ temesam prædam pertinacibus retinerent unguibus, non sine multo Regum ab annis jam valentium, sudore postea recipiendam.

Non ea Philippo tutore fuit Regis Regni que conditio. Tam firmiter Ludovicus hæsit in folio, quam si totum illud impleret. Et verò implevit nondum annis, jam animis plenus. In eo sedit nondum auctoritate gravis, jam majestate potens; nondum tremendus viribus, jam virtutibus verendus; vel si præsidia deficerent cætera, satis firmatus Tutoris dexterâ, & ejus umbra protectus.

Gallie vero corpus universum ita Philippi directum est ingenio, sic ejus implem spiritum, ut facile sentiret tanto corpori quanta præesset anima; tantæ animæ quantus inesset vigor; tanto vigori quanta subesset prudentia. Neque enim solum pervasit animo Galliam, ut omnes ejus partes, quasi unius membra corporis inter se conciliaret; sed totam mente permeavit Europam, ut omnia ejus Regna arcanis reget motibus, & illorum motus omnes amica pace compefceret.

Non ille, ut olim Hercules, adversus Leones, aliasque bellatrices feras clavâ usus est, quamvis huic tractandæ sit apprime idoneus; sed, quod minus ter-

roris, plus laudis habet, Pardos, Aquilas, & Leones suis mansuefecit artibus, velut alter Orpheus; & illos ad infantis folium pertraxit non vinculis gravatos, sed mollitos animis, ac prope venerabundos. Ipsam quoque crescentem Lunam, illecebris victam, carmine magico potentioribus, cœlo deduxit suo, ut coram oriente sole superba demitteret cornua, & novum Galliæ fidus adoraret. Siluit itaque in conspectu Ludovici pueri terrarum orbis, quomodo in conspectu Alexandri Magni quondam siluerat, tunc victoris metu pressus, nunc pacatus pupilli reverentiâ, & Tutoris prudentiâ conciliatus. Verum an silebit diu? An tranquillo ab æternis armorum fragoribus Regno longùm frui dabitur? Hoc equidem solus præstare Deus potest. Tam subita ex tam levibus causis existunt aliquando bellorum incendia. At hoc certe, quantum præcavere mens humana potest, cavit Philippi Aurelianensis sapientia, dum Galliam cum Hispania tergemino fœdere consociavit, annuente Europa; & Ludovico Gallico Sponsam ex Borbonio Philippi Hispanici sanguine advocavit.

Sint Oratores alii, (& erunt haud dubie nobis disertiores) qui opportuno tempore felicem Hymenæi pompam gratulatione comitentur publica; & omnes eloquentiæ flores deproperent ad intexendas Sponso, & Sponsæ geniales corollas. Admirentur illi quàm benè Galliam remuneraverit Hispania; ut, quæ Regem a nobis acceperat ingenio mirè convenientem suo, & qualem optare debuit; sapientem prudens, constantem gravis, pia religiosum, eadem Galliæ Reginam rependerit ipsius indoli prorsus accommodatam, & qualem eligere debeat, festivam lepida, hilarem alacris, venusta elegantem. Hæc memorent illi; & par Conjugum, quo nihil in terris nobilius erit vel melius faustis omnibus prosequantur.

tur. Nobis id unum observare sit satis, quàm pulchrè isto connubiali fœdere proviſum sit, ut pacem cum ea gente diuturnam foveamus, quàm diu nobis infensam, nuac amicam, veluti partem nostri alteram amamus.

Quid possint ad conciliandos patres filix, quid ad leniendos viros nuptæ, sensit olim magno gemini populi commodo Roma; cum hinc viros, inde patres infestis concurrentes odiis diremerunt mulieres fortiter piæ; & a mutua internecione ad mutuam fœdus compulerunt.

Plus aliquid Sabinis mulieribus poterit puella Borbonia, & præstabit. Illæ bellum sustulerunt, sed cui causam dederant; hæc nullam belli causam dabit, omnem removebit. Stabit parentem inter & conjugem media, tam illius memor, qui genuit, quàm ejus, cui nupsit; in illum pietate, in hunc amore potens; utriusque ante iras conciliatrix, utrimque ante pugnam victrix, utrobique nomen implens, quod a Victoria \* accepit; & Patrem virumque sine cæde victos, sicque victoribus meliores non lauro sed oleâ coronabit. O beatam tali triumpho Reginam! ô beatum tali conciliatrice Regem! ô felix tali concordia Regnum!

Utere tanto talique Regno, Ludovice, quoniam dominatum ejus per ætatem habes; atque ut eo benè utaris, illam tui potestatem exerce, quæ alterum ætatis tuæ munus est alterâ Orationis parte tibi gratulandum.

**SECUNDA PARS.** Illud Regum, qui sub tutore sunt, quodammodo proprium est, ut qui omnium mortalium poterunt aliquando plurimum, ii tunc omnium minimum posse videantur. Multa quidem eorum promulgantur.

H 2

TUR

\* Maria Anna Victoria Philippi V. Borbonii Filia.

tur nomine, quæ ipsi velle, ipsi pronunciare dicantur; sed quæ ita velint, ita pronuncient, quomodo sua proferebant oracula deorum imagines, a quibus petebantur responsa, quæ ipsis tacentibus ore alieno edebantur. Sic itaque regnant pupilli Reges, ut dum eorum providetur Regno, & ipsorum infantia eruditur, nullum sui dominatum habeant. Verum ubi ætatem lege vel more constitutam attingerunt, tum verò potestatem sui tantam acquirunt, quantam ab ætate privatus accipiat nemo.

Quænam autem illa sui potestas? An faciendi quicquid libitum animo fuerit? At hæc impotentia animi, non potentia est. Aliam profectò sui potestatem longe præstantiorem Regibus concessam debemus intelligere: potestatem nimirum ingenii & animi; hoc est potestatem exercendi dotes ingenii primarias, & regias animi virtutes exercendi. Hæc vere potentia regia est; hæc ipsa Regnum quoddam est alterum, istoque melius Regno, cujus priore loco possessionem Ludovico gratulati sumus.

Gratulemur igitur ei potestatem illam, qua nunc fruitur, & unde fructus ingenii & animi jam ostendit Gallix uberrimos.

Dotes ingenii, ut ipsa ingenia, aliæ præstant aliis; atque in his Principatum quemdam obrinet prudentia, cujus exercitatio & usus in Rege constans esse debet ac fere perpetuus. Facebant enim mali virtutum æstimatores, qui prudentiam existimant summæ potentix inimicam esse; & ab iis solum adhibendam Principibus, qui minus possint, vel parum audeant. Tyrannorum est potestatem regiam libidine sua, & populorum patientia metiri; quomodo metiebatur ille Cæsarum Sextus, \* qui ante se negavit quemquam Principum fuisse quid sibi liceret. Sentiant omnes boni Principes, & sentit Ludovi-

\* *Nepo apud Suetonium.*

lovicus, quod plus potest, eò prudentiæ usum esse majorem oportere, ut ipsa uti potentia discat suâ; ut statuat, quid exigat rei cujusque natura, quid imperandum leniter, quid minaciter prohibendum; ut intelligat, quid ferat quælibet loci temporisve ratio; ubinam progrediendum celeriter, quandonam lente properandum; ut observet, quid varia postulet hominum conditio, quàm diversè cum iis, pro diversâ illorum forte agere, & versari debeat.

Qua dignitate agendum sit cum viris e familia sua Principibus, qui uno minore Rege, & universo populo superiores, ita suum Regi obsequium debent, ut suis ipsis honor debeatur; qui sic continendi sunt, vel potius conciliandi, ut in secundo constant gradu, cum laude, & sine ambitione; & amari semper velint, nunquam amant timeri.

Qua auctoritate utendum sit cum aliis Regni Proceribus, qui a Rege distant longiore intervallo, sed ad ipsum proxime accedunt suo munere vel officio; quibus dat Rex ut magni sint, sed qui ejus quoque addunt amplitudini; quibus uti debet, ut viris sibi subjectis, sed tamquam optimis; qui sic ad sustinendum Regni onus adjungendi sunt, ut semper utiles velint esse; nunquam necessarii possint videri.

Qua cautione vivendum cum reliquis omnibus Aulicis, qui plerumque in eo toti sunt, ut Regem inspiciant penitus, ipsi prorsus lateant; in quibus vera virtus esse potest aliquando, & cerre est, sed a falsa vix dignosci potest; qui si possint placere vitiis, illa colant pro virtutibus; qui Reges bonos ac malos perinde habent, dum illos habeant propitios; quibus Rex omnino carere non potest, a quibus vix sibi potest cavere; sic autem cavere debet, ut neque fidat, neque diffidere videatur.

Qua popularitate accipiendus sit populus, qui pars Regni ultima quidem, sed multo maxima; ad quem Rex eò se magis inclinare debet, quòd populus ad ipsum non possit assurgere; sic tamen inclinari decet, ut dimittat se, non objiciat; ut affabilis sit, non familiaris; & amorem populi colligat, non amit-  
tationem.

Qua gravitate admittendi sint peregrini & advenæ homines, quibus exhibenda facilis quædam majestas, factus quidam modestus, inaffectata quædam elegantia, quæ percellat oculos, alliciat mentes, adjungat voluntates, ut Regem diligant etiam, qui Regno invident, & nos Rege pariter ac Regno beatos prædicent.

Qua denique humanitate omnes habendi sint cujusvis generis regio imperio subiecti homines; quibus Rex æque natus est omnibus; qui ipsum respiciunt omnes; quorum neminem fas est despiciere; quibus Rex imperare debet, sed ut homo hominibus; tanto se magis probaturus Regem, quanto se hominem meminerit magis.

In hac tanta, sive rerum, sive personarum varietate quis non intelligit quantus exerendæ illi prudentiæ campus aperiatur, quæ Ludovico a prima adhæsit infantia; quæ direxit ejus pueritiam; quæ in eo adolescentiæ impetum repressit; quæ non illi obturavit aures, ne audiret; non occlusit oculos, ne videret; non hebetavit animum, ne sentiret; sed linguam tenuit, ne male proderet sensus animi reticendos; neu quid temere, aut leviter effutiret. In quo Telemachus hic noster Gallicus plus aliquid prudentiæ suæ debet, quam Ithacensis illæ juvenis Minervæ deberet suæ; ipsa siquidem alumnum sæpe verbo labi patiebatur, ut haberet in eo, quod arguendo moneret: prudentia Ludovici omnem contra la-  
psum

psum antevertit, ut nihil esset in adolescente Rege, quod emendaret.

Illà nunc igitur cautè quidem, ut solet, sed liberius quàm solebat, in campo excurrat latissimo, quem ipsi ætas aperit; qui nec minus Regiæ Ludovici Providentiæ apertus est. Fas enim nobis, ut in Deo Providentiam a sapientia discernimus, sic in Rege illam a prudentia dotem ingenii secernere, quæ omnia in regno prospicit, & providet omnibus. Quemadmodum enim Deus sic mundum regit universum, ut non agat solus per se singula; sed naturas procreat, quæ agant ipsius vice, & sua singulæ munia obeant; ita neque Rex in gubernando regno singula per se administrat; non modò quia unus omnia non potest; verum etiam quia ipsum multa non decent; sed viros pro sua providentia eligere debet idoneos, quibus suam commodet auctoritatem; qui suam ipsi tradant operam; quibus imponat onus cum honore; qui & onus & honorem dignè sustineant.

Jam itaque Ludovici est omnibus Regni providere partibus; & rei civili ac politicæ suos præponere administratos, homines ingeniosos, acres, industrios, non sibi, sed felicitati publicæ natos; quorum si fortuna magna est, animus sit ipsâ fortunâ major; qui, si pateant invidiæ, illam virtute vincant; qui, cum ad summos honores per gradus venerint, ipsum honorum apicem mentis excellentiâ superent; qui denique suam dignitatem antea sint meriti, quàm assequerentur; & postquam assecuti sunt, perpetuò mereantur.

Jam a Ludovico suos accipiet Themis Judices, viros (cujusmodi licet hic designare oculis complures) minus ad rem suam attentos, quàm in aliena re intelligentes; tam recti amantes, quàm juris peritos; vindices legum, & legibus obediens; qui æquitati

concedant omnia; misericordiae tribuant multum; nihil omnino gratiae indulgeant.

Jam Ludovicus suos castris praeficiet Duces, animo fortes, manu promptos, scientes pugnae, vitae sapienter prodigos; qui tumentur fines patriae, non populentur; qui non acquirant multo sanguine, quod modico licet emere; qui non protrahant bella, ut imperium sibi prorogent; qui cum multis & multa vicerint, ipsam gloriae cupiditatem assuescant vincere; & palmis nobiles, pulchro in otio sine desidia, sine taedio conquiescant.

Jam Ludovici erit suos Provinciis sufficere praefectos, auctoritatis regiae custodes vigilantissimos; qui sic agant omnia in Rege, ut non se pro Regulis gerant; qui rem ita curent publicam, ut ex publica privatam non faciant; qui secum in provincias magnam afferant benefaciendi voluntatem; ex provinciis nihil, praeter benefactorum memoriam, referant.

Jam a Ludovico missos accipiet Europa Legatos, qui varia Principum jura, mores gentium, ingenia hominum, & ingenium ipsi suum bene noverint; qui eruditi sine ostentatione, eloquentes sine apparatu, callidi cum simplicitate, aperti cum dissimulatione, arcana sua tegant, eruant aliena; impellant alios, quod velint, duci se non sinant; petant multa, concedant pauca; & simul Regis gloriae, simul gentis famae, simul patriae saluti consulant.

Jam ipsa suos Ludovico debet Ecclesia Gallicana Pastores, pios, vigiles, impavidos; quibus non sit generis nobilitas pro virtute; sed quorum virtus illustretur genere, vel ipsa sibi lumen sit ac decus; qui oves suas revocent a pabulis nocentibus, & lupos ab ovilibus arceant; qui summum Pontificem auscultent, ut Patrem; universam Ecclesiam colant, ut Matrem; Ecclesiam quisque suam, ut sponsam diligant;

gant: qui demum fide, doctrina, & moribus eos referant pastores, qui me frequentia cohonestant sua; in quos velut in exempla, Ludovicus poterit inspicere, quoties Ecclesiae ministros deligere volet non bonos solum, sed etiam e bonis optimos.

Felices profecto summi in diverso genere viri, quos tam diversis muneribus Ludovici providentia suo tempore admovebit! Quoniam a Rege provido ad magna feligi magnum est; neque tunc honor in fortunae muneribus, sed in virtutis praemiis numeratur.

Felix ipse Ludovicus, qui ab annis summam deligendi potentiam adeptus, illam obtineat in gente virorum excellentium feracissima; quae cum sua rei politicae & aeternae fidera dederit, Richelios & Colbertos; sua Marti fulmina, Condæos & Turenios; sua legationibus oracula, Ostatos & Avauxios; sua Ecclesiae miracula, Perronios & Fenelonios pepererit, novos parit quotidie, & parturit magnis illis viris pares viros, aut suppare, eosque numero tam multos, ut sola delectum impediatur multitudo.

Felix in primis Gallia, quae sibi dignos in omni publica re administrare possit ab eximia Ludovici providentia, qui, quo primum die in tribunali sedit cum eligendi potestate, illam exeruit, non eligendo novos rerum moderatores, quod potuit; sed electos confirmando, quod maluit; & quod singularis, tum bonitatis, tum providentiae fuit; optima siquidem videre, & sequi non potest nisi optimus Rex, idemque providentissimus. Sic pergat Ludovicus ingenii dotes exere; nec illos imiterur unquam Reges malo publico ingeniosos, qui cum meliora videant & probent, deteriora eligunt & sequuntur.\*

Veneranda

\* Ovid. Metam. l. 7.

Verum quæ novæ mihi offeruntur species? Video Regias animi virtutes, quæ in Ludovici pectore antea captivæ per ætatem fuerant; nunc sibi liberæ videntur, ex quo in ejus potentate sunt, & ipsas arbitrio suo explicare potest.

Exultat præ aliis animi Fortitudo, quæ, ut in Alexandro puero se prodidit lacrymis, ita se in Ludovico lætitiis indicavit. Hæc, vincita licet, jam emicuerat in illo bello ad Monstrolium ludico, ubi Gallo milite victoris & victi, idest, suam & hostis personas agente, Ludovicus pascebat oculos atris ignibus tanquam aliquo scenæ spectaculo; oblectabat aures horrendis fragoribus, veluti cantu musico; per campos volitabat telis rigidos, quasi in horto floribus confito; ludens cum Marte, & ejus artes per ludum arripiens; fictos expugnans hostes, & jam veros meditans triumphos. Nunc soluta, nunc libera est ista bellici laboris avida Fortitudo. Illam time te hostes Gallici nominis, si qui estis uspiam, vel unquam eritis. Talem enim videbitis in vero certamine, qualem in umbratili pugna fuisse audivistis. Ludendo vincebat; tunc quoque huic ludus erit vincere. Quamquam, ô Clementiam Ludovici potius, quam ejus Fortitudinem libet experiri.

Cernitis ut illa se vobis sistat ore placidam, serenam fronte, per omnia Ludovico simillimam. O salve regia verè, nec minus verè Borbonia virtus, sic amica dignitatis, ut illos Cæsares feceris Augustos, quos, absque te esset, Victoria fecerat Tyrannos! O quam bene, vel cum libera nondum fores, jam captivos liberabas, quos Rhemenis carcer plurimos acceperat volentes, quia tantum confisos tibi, quantum suæ causæ diffisos! O utinam Ludovico semper ad sis! non ut ille parcat, quemadmodum Augustus, qui tunc nocentes servare cœpit aliquos,

cum

cum innocentes perdidisset longè plures; sed ut servet multos, cum perdidisset neminem. Non ut bene velit etiam nocere volentibus, ut idem ille Cæsar. Quis enim ei velit nocere, cujus salute unius publica salus continetur? Pro cujus capite, cum paulò antehac morbo tentaretur, Galli omnes ultro caput vicarium obtulerunt; qui, cum nuperrimè deliquium esset passus animo breve, Galliam propè exanimavit metu; dum illa timuit, ne Sol iste suus jam adultus deficeret, & clarissimum diem suum atrâ caligine obscuraret. Non optandum igitur, ut clementer agat Ludovicus cum malevolis, qui nulli erunt; sed ut temerè lapsos erigat, ut miseris subveniat, dum benemerentibus benefaciat munificentia; quæ cum adolescentente Rege, sui quoque juris facta est.

Hanc videte Regiarum maximè splendidam virtutum, nec magnis tamen semper intellectam ingeniiis, sed magnis dumtaxat notam animis; quoniam ii solum dare norunt magna, qui magnam ipsi animam sortiti sunt: hanc videte ad Ludovici latus hilariter adstantem vultu, qualis ipsi adstiterat in festivis illis ad Monstrolium Castris; ubi milites aliquos, ne quid ad pugnae simulacrum deesset, prostratos humi, & mortuis assimilatos revocabat ad vitam, nummo aureo in os tacitè inserto. Miraculum facile quidem, sed tamen preciosum; in quo Rex beneficus experiri cœpit, quod liberalissimus erga milites Spartanorum Imperator Agesilaus de se professus est, *ditare sibi multò jucundius esse, quam ditescere.*

Hic ego commemorarem de majori numismate, in quo Ludovicus & imaginem vultus sui, & suæ voluntatis specimen tam amanter, quam regaliter huic Collegio nuper dedit; si sua tanti faceret munera, quanti nos facimus, qui donum ex dantis manu & animo æstimamus; aut nisi metuerem, ne Muni-

ficeret

ficentiam regiam ad nos invitare potius velle videmur, quàm de illa grato animo prædicare. Nihil ab ea petimus, neque illum advocamus, quæ nos sponte sua respicit satis. Huic amplam benefaciendi alii materiam nostra offert oratio, sine ulla cupiditate, vel invidia.

Sunt nimirum vel erunt in Aula, in Foro, in Castris, in Ecclesia viri de Principe, de Populo, de Patria, de Religione, de omnibus præterquam de seipis, egregiè meriti; hoc digniores mercede, quod nihil mercedis causâ fecerint; hoc citius remunerandi, quod tui minus fortasse diu per ætatem poterunt. Hos respiciat amico lumine Munificentia, & faciat, ut tibi demum incipiant vivere, qui hæcenus aliis unicè vixerunt.

Sunt, vel erunt in omni arte liberali homines melius a doctrina, quàm a fortuna instructi; qui dum patriam claris ornant operibus, ipsi habitant fordide; atque dum immortalitatem acquirunt foris, domi vitam mortalem ægrè tolerant. Horum emendet fortunam Munificentia, & ingenii venam auri venâ locupleret.

Erunt in Provinciis urbes, quæ sive ad utilitatem civium, sive ad civitatis splendorem, sive ad excolenda juvenum ingenia, sive ad exercenda eorum corpora, edificia quædam regia expetant. Hæc annuat Munificentia, & Regis memoriam publicis ejusmodi monumentis certius aut melius, quàm Trophæis bellicis æternitati consecrat.

Nulla erit in Regno Provincia, quæ non variis temporibus & locis singulare aliquod munus Regium possit accipere, id flagitante Misericordia vel pietate. Illic opes e Provinciis eductas reponat Munificentia, tantò majore cum Ludovici gloria, quanto magis astrorum omnium beneficentissimum Solem imitabitur,

bitur, qui vapores è terris colligit, non ut fervet sibi, sed ut refundat in terras certis temporibus irrigandas.

Sentio, Auditores, non posse me omnes Regias virtutes oratione comprehendere, quas Ludovicus animo complectitur. At impiè certè fecerim, si de Religione sileam, quæ non omnium quidem Regum virtus est, sed omnium est maximè Regia virtutum; quæ, si adsit in Principe, virtutes una multas supplere potest; quæ, si una desit, nullâ virtute aliâ possit compensari.

At enim ejus colendæ potestatem nonne a prima ætate habuit Ludovicus? Habuit enimvero, & illum sive sua explicantem mysteria, sive suas dictantem leges, sive sua peragentem sacra, tam reverenter audiit, tam studiosè observavit, tam amanter coluit, ut illum unicè diligere, & quod religiosissimo Parenti, quod Matri amantissimæ, si viverent, amoris exhiberet ac reverentiæ, id totum reservasse religioni, & præstare videretur. Sed illam tamen pro ætate teneram tener, & quasi privatus privatam coluit. Nunc autem posteaquam ejus, cum ætate, adolevit auctoritas, oportet Religionis cultum præ se ferat annis & auctoritati parem. Nunc ostendendum est, sine ostentatione quidem, at sine verecundia, quàm sit religiosè humilis; ut quantum ejus crevit Majestas apud Populos, tantum ipsius crescat in Deum reverentia: quàm sit Religiosè fortis; ut adversus blandos hostes, qui ad labefactandum ejus animum succedent annis accedentibus, insurgat acriter, & in dies invalescat: quàm sit Religiosè Catholicus, ut nullam patiat in Christiana Fide novitatem; ut istam conterat, quæ ipso regnante, sed annis minore, sæpius compressa licet, caput coepit efferre insolentius; nec jam *obsequioso* contenta *silentio*, vocem ausa est rebellem attollere: quàm sit Religiosè vindex,

vindex, ut bonos foveat, & frangat improbos; ut istis hominibus novarum opinionum turbine extra navim abreptis, & revocante frustra Governatore, ad exitium certum properantibus adimat omnem, sin minus pereundi miserè, at malè alios perdendi licentiam: quàm sit Religiosè dominus, ut se populoque regat ex præscripto Religionis; ut illam adhibeat in consilium; ut regnet cum ea; ut ipsa regnet per eum; & cæteris ejus regis virtutibus imperet.

Prodeant igitur, Religione duce, omnes regis Ludovici virtutes; & suas unaquæque in regni administratione partes obeat. Sedeat verò in Aula Ludovicus, velut in Theatro totius orbis terrarum pulcherrimo (non ubi Tragœdias agat, quales dederunt actiores omnium pessimi, & mali Principes), sed ubi spectaculum exhibeat omnium oculis, ipsoque immortalis Dei aspectu dignissimum, Regem optimum videlicet, maximis fulgentem virtutibus, & illis utentem ad Regni gloriam, & felicitatem populorum.

Illic adsistant digni aspicere, & conspici regiarum virtutum cultores egregii; & in excolendo Regis tum animo, tum ingenio, quale nobis spectaculum paraverint, intelligant; suoque beneficio, publice felicitatis artihces, placidè fruantur.

Illic adsitet propius, qui a Regis latere non discessit, Condæ gentis ac virtutis hæres primus; & institutionis Regiæ, cui præfuit, hunc fructum capiat suavissimum, in Rege bene nato, & bene culte alumnum agnoscere, & venerari; agnosci ad eo, & diligi.

Adsit ibi omnium proximè, qui genere ac dignitate omnium proximus est, Tutor optimus, deposita auctoritate nunc quoque potentissimus, & potentia suâ dignissimus. Pupillum regnantem sic inruetur, ut grandior Aquila pullum inruetur volantem,

tem, quem modò alis texerat, & exemplis erudierat suis.

Adsit intenta oculis, erecta animis, cumulata lætitiis Gallia; adsit pacata Ludovici auspiciis, Philippi studiis, Administri laboribus Europa; adsint ex orbe terrarum universo, velut ex amplissimo quodam amphitheatro, Reges; adsint Gentes; & Regem ætate juvenem, majestate virum, maturitate senem, moderantem sceptra, fundentem oracula, spondentem miracula, videant, admirentur, ament; & Regi, Regnoque gratulentur.

## PRO PUBLICIS SCHOLIS

### ORATIO PRIMA

#### HABITA FLORENTIÆ

#### A HIERONYMO LAGOMARSINO.

QUUM animadverterem, Florentini, publicas per Italiam Scholas gravi, ac diuturna apud nonnullos infamia flagrare; eoque rem pene adductam viderem, ut nonnisi privata intra domesticos parietes adolescentulorum institutio probaretur; idque non modo publicis Doctoribus injuriosum, verum etiam Doctrinis ipsis esse maxime infestum intelligerem: rem ipsam ad vos, tamquam ad legitimos quosdam disceptatores, æquissimosque Judices deferendam; causamque tot hominum honestissimorum, tot illustrium Gymnasiorum, Literarum denique ipsarum esse mihi ex hoc loco suscipiendam putavi. Quod si hanc tam malam de Scholis publi-



cis opinionem ipsi sua sponte Itali homines suscepissent, suaque in hac re, non aliorum iudicia atque auctoritatem sequerentur fortasse, aliò orationem meam convertissem, atque huic omni causæ ac contentioni superfedissem. Etenim Italorum ingenii, & in re literaria constituenda atque ordinanda prudentiæ tantum tribuo, & ab omnibus tribuendum puto, ut quoties de literis agatur, quas ipsi e Græciâ arcessitas apud se omnium principes collocarunt, & Gentium barbararum colluvione deinde extinctas ad vitam longo intervallo revocarunt; revocatasque usque ad hoc tempus summa cum earum suaque dignitate retinuerunt, nemo mihi a it cuiquam gravior esse auctor debeat. Italos, Italos, inquam, bonarum literarum parentes, de literarum ratione præcipientes, & sive vetustas consuetudines tollentes, sive novas inducentes, æquo animo, immo & libenti feram. Illud vero ferre quis possit? Submitti quotidie et transalpinis transmarinisque regionibus, non modo archetypas illas comendi capitis, totiusque corporis vestriendi ornandique arbitras, & modestiæ gravitatisque Italicæ corruptrices Pupas; verum etiam levissimos quosdam, & nonnisi stultitiæ atque impudentiæ plenissimos libellos, quibus non dicam (id, quod vere dicere graviterque possim, si Theologi Doctoris personam agere, non Rhetoris velim) credendarum a Christiano pioque homine, faciendarumque rerum summa convelliur; sed certe (id quod Theologo minus dolendum est, verum Italo Rhetori deplorandum est magis) Italorum sapientissima ac vetera doctrinarum instituta, atque universa humanitatis tradendæ ratio libere, aperteque reprehenditur, atque emendatur? Atque ut intelligatis, quæ isti in publicis Italiæ, atque adeo omnium gentium Gymnasiis, & quam sine ulla satis probabili ratione reprehendant, colligam

colligam prius, ac breviter recensebo criminationes eorum omnes; tum singulis quam accuratissime planissimeque potero respondebo. Si qui autem in hac frequentissima lætissimaque concione adsunt, qui, sive eorum, quos contra dicturus sum, auctoritate permoti, sive suo ipsorum iudicio persuasi, cum illis sentiant; peto ab iis ut ne me purent (postremum quidem omnium, qui non modo in hac Urbe, sed in universa Italia sunt, veruntamen publicum Præceptorem) hoc publicarum Scholarum Patrocinium ob eam rem deserere debuisse, quod ipsi obrectatorum nostrorum numero accreverint, ac tanquam auxiliaria ex Italia manus, in castra externorum hostium advenerint. Quod si licere sibi arbitrantur, institutum hoc totius Italiæ publice docendi criminari, nosque ipsos, qui in eo versamur, reprehendere; interdictum nobis existimare non debent, quominus reprehensi rationem facti nostri reddamus, & gravissimas nostrarum Scholarum criminationes depellamus. Quos quidem ego confido, si me diligenter, æquisque animis attenderint, non modo mihi hujus defensionis meæ veniam duros, sed etiam sensuros nobiscum, & ex adversariorum præsidii perfugas in nostra castra venturos.

Publicarum Scholarum gravissima hæc isti esse ajunt incommoda: primum, quod delectus fieri Magistrorum non possit, sed quoscumque fors obtulerit, atque adeo minus etiam aliquando idoneis volenti discere sit utendum; ii autem ipsi ne tamdiu quidem possint, quamdiu discentium utilitas requirit, retineri; sed sæpe sint in medio cursu ammittendi, cumque aliis nonnunquam deterioribus commutandi. Deinde, quod tam multis auditoribus, quot ad Scholas publicas confluere vulgo solent, unus sufficere Doctor nequaquam possit; qua etiam ex re fieri, ut

ri, ut diutius quam necesse sit, iisdem in Scholis discipuli detineantur. Tertio denique quod in tanta omnis generis juvenulorum multitudine ac contubernio nonnisi pessime bonis moribus consulatur. Videtis tria esse omnino crimina ab istis in publicas coniecta Scholas: primum de genere Doctorum: alterum de diuturnitate docendi: tertium de moribus.

Hic ego, si paucis agere, totamque criminacionem una interrogatiuncula, tamquam machinam aliquam uno impulsu labefactare velim atque pervertere, facile possim, Florentini. Quæram enim: si vere ita dicuntur, qui nam fieri potuerit, ut publicis e scholis tam multi in omni temporum memoria doctissimi, sanctissimi que viri prodirent? Namque ut ne ex hac ipsa urbe discedam, & ne non modo viventes nullos, (qui multi sunt, civitatis lumina, & literarum græcarum latinarumque decus ac columen) sed ne mortuos quidem ullos, quos nosse plerique vestrum non potuerint, nominem; duo certe paria, quæ instar multorum esse possint, utrumque singulare atque excellens, sed alterum in altero genere præstantius, Benedictum Averanium, atque Antonium Mariam Salvinium, Thomam Bonaventuram Gherardescam, atque Aloysium Mariam Strozam ex hoc ipso Gymnasio, quod mihi nunc est conceditum ac commendatum, memoria hac nostra vidimus exitisse. Possem etiam illa commemorare, quæ valere certe multum deberent: aquod omnes paullo humaniores Gentes, nullo non tempore publica Gymnasia discere volentibus patuisse: tantamque hujus rei, præsertim apud Romanos illos veteres, auctoritatem ac veluti religionem fuisse, ut plurimæ ex condiscipulatu, arctissimæque necessitudines in omnem deinceps reliquam vitam constituerent. Tum quærerem: num aut in hujusmodi Gymnasis insti-

tuendis

tuendis errasse, aut semel institutis, non incommoda, si qua erant, postea vidisse, aut si vidit, non ea, sublatis ipsis Gymnasis, corrigere voluisse, tota antiquitas judicanda sit? Hæc ego omnia prætermittam, satis illa quidem firma per se se atque illustria, veruntamen, propterea quod nimis universe dici videntur, non perinde ut ego velim, ac res ipsa postulat, pondus apud nonnullos atque auctoritatem habitura.

Placet igitur pedem, quod ajunt, propius conferri, & singulas criminaciones suis ac propriis responsionibus refutari. Ac primo quidem, quod queruntur. Magistrorum delectus tolli, eligendique optimos quosque potestatem adimi, iisque necessario esse utendum, non quos maxime probaverimus, sed quos fors ipsa in publicis Scholis obrulerit. Quid, si optimos quosque fors ipsa in publicis Scholis offerret? Num Magistrorum delectus illos, eligendique liberam potestatem magnopere desiderari oporteret? Atqui sic se res habet, ut optimi quique magistri fere nonnisi in Scholis publicis reperiantur. In quo nonnullorum eripiendus est error, qui ita putant, docendi rationem optimam sic esse cum summa doctrina conjunctam, ut ab ea separari divellique non possit, nihilque inter doctum hominem, atque Doctorem interesse; ut qui maxime doctrina excellat, idem maxime sit ad docendum accommodatus. Id est, longe secus. Doctos ego homines possim quamvis multos proferre, qui se ipsi tamen minime idoneos ad docendum & agnoscent & fatebuntur. Laborem hæc res præcipuum quemdam, ærumnas maximas, incredibiles molestias affert: innumerabiles discipulorum ineptiæ, stultitiæ, nequitæ devorandæ sunt. Levitas, garulitas, ferocitas, tarditas, cessario ferenda est. Qui se non ante animi invicta quadam patientia tolerantiaque munierit, is, quamvis doctus sit, non poterit

terit hoc munus diutius sustinere; quin immo, quo erit ipse doctior atque ingeniosior, hoc se minus esse aptum adolescentulorum ingeniis excitandis atque instituendis intelliget. Magis enim discantium tarditate aut negligentia commovebitur. Nam, ut præclare Tullius, \* *Quo quisque est solertior, atque ingeniosior, hoc docet iracundius. Quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tarde percipi videt, discruciatur.* Maxime vero eodem accedat communicandæ doctrinæ quædam facultas oportet; ut neque plura tradantur, neque subtilius, neque jejunius, quam discantium est captus. Quam certe facultatem sæpe ab doctissimis abesse videmus. Si quando igitur Doctores omnium optimos quæremus, non continuo doctissimos quosque homines putemus nobis esse quærendos; statuamusque Magistrorum præstantiam non tam in doctrinæ commendatione, quam in egregia ejus tradendæ cum facultate, tum voluntate consistere: neque satis esse, eos ea scire, quæ docent, nisi & sciant & velint ea ipsa docere, quæ sciunt. Num igitur tales non fere sunt ii, quibus docendi munus est in Scholis publicis demandatum? Fateor, in plerisque civitatibus reperiri aliquos aliquando posse doctiores: sed qui melius tueri partes Doctoris possint, non fere reperiri confirmo. Nam primum non temere ad eam provinciam negligenterque adsciscuntur; sed ab iis, qui publicis Gymnasiis præsent, summa cura, ac prope fastidiose probati deliguntur. Scientia in illis earum rerum, quas professuri sunt, eaque non vulgaris, sed etiam in comparatione præstant atque excellens, morum gravitas, severitas, probitas, præcipue vero illa in docendo, quam modo dicebamus, patientia, ac communicandæ doctrinæ facultas facilitasque requiritur. Non atrocior animad-

Pro Q. Ros. Com. c. 31.

verso, non dissoluta indulgentia, non operis vacatio, immo ne aliarum quidem rerum occupatio permittitur. Hæc Gymnasiorum moderatores scilicet curant; his invigilant atque instant; hæc repetunt; suntque cum maxime in deligendo solertes, tum minime etiam in probando remissi. Quod si spes illos forte fefellerit, neque satis expectationi, suoque muneri Doctores publici facere videantur, paratum remedium est. Magisterio cessantes remouentur; diligentiores magisque idonei sufficiuntur. Verum hæc quam non deveniendum est sæpe? Facit enim ipsa publici muneris amplitudo ac dignitas, hominum fama atque existimatio, studium probandi sui cum omnibus civibus, tum maxime Magistratibus, contentio quædam inter ipsos atque æmulatio, vehementer sedulos in docendo atque impigros Præceptores. Qui, si mercede docent, spe etiam præmiorum magno opere commouentur. Si vero nullis utilitatibus suis propositis, sed civitatum, atque hominum commoda, Deique in hac ipsa re voluntatem, gloriamque spectantes ad docendum accedunt, dici vix potest, quanto acrioribus stimulis ad bene docendum incitentur. Nulla enim res est, quæ honestum ac probum virum ad sui muneris partes implendas vehementius impellat, quam hominum ipsorum Deique charitas. Denique, quod in reliquis artibus contingit, ut usu atque exercitatione perfecte cumulateque discantur, id in hac quoque docendi fieri necesse est. Quamobrem etiam si primo in Gymnasia adventu non ita ab omnibus copiis parati atque instructi Magistri publici reperiantur; at altero magistrarii anno reperientur; si non altero, certe tertio; quarto quidem sine controversia; quinto vero, sexto, septimo, reliquisque deinceps, quis tam hæbes esse per Deum immortalem, quis tam tardus plumbeus-

que censebitur, qui non hanc artem, in qua una tam-  
 diu elaboravit, possit præclare perdiscere? Certe  
 si quis est ejusmodi, ut post aliquot annorum exer-  
 citationem non satis in docendo excellens evafurus  
 videatur, hunc necesse est tam nullo ingenio, tam-  
 que non dicam stupidum, sed stipitem esse, ut ne-  
 que voluisse is sua sponte, neque aliorum judicio  
 ac voluntate permissus esse unquam ad docendum  
 accedere sit existimandus. Itaque quos unus e multis  
 acerrima æstimatione delectos, quos sæ dignitatis,  
 quam vident oculis, & judiciis multorum esse pro-  
 positam, studiosos; quos aut spe præmiorum incen-  
 sos, aut Dei hominumque eximia charitate inflam-  
 matos per diu in hoc tanquam pulvere desudare, quos  
 id unum agere; quos docentes in Scholis publicis  
 consensescere videmus, eos profecto peritissimos  
 quosdam in arte docendi, atque excellentissimos Ma-  
 gistros existimare debemus: qui quidem si tales non  
 sunt, qui potius esse debeant, plane non video. Ita-  
 que aut nulli sunt excellentes Doctores, aut, si qui  
 sunt, ii certe sunt publici. Quod si ita est, quid est  
 cur isti correctores atque emendatores nostri de op-  
 timis Magistris deligendis laborent? Parcant operæ  
 si me audire volunt: alio suas curas reservent: ne  
 actum agant. Nihil opus est electione. Habent jam  
 Italix civitates a sapientissimis viris delectos, quibus  
 meliores deligere certe ipsi non possent. Quod si  
 deligere tamen volent, non repugnabo, modo inter  
 istos ipsos delectos deligant. Non poterit in tanta  
 delectorum copia, quem ipsi delegerint, non esse  
 electissimus. At certe, inquiunt, quid prohibet, pri-  
 vatum Doctorem pari, ac publicum esse excellen-  
 tia? Immo, inquam, nihil prohibet, esse etiam, si  
 vultis, superiore: Quid tum? An nunc id agitur,  
 possint nec ne boni privati aliqui Doctores esse: an  
 vero

vero, utrum publicos deferi, mali quod sint, oporteat? Bonos ego hos, immo, si diligenter attendistis, optimos vulgo esse demonstravi; & quæ prima in Scholis publicas criminatio jactabatur, in quibus optimorum Doctorum negabatur fieri posse delectus, satis, ut arbitror, aperte dilui. Cæterum cum privatis Doctoribus mihi neque ratio, neque res est; quibus usque adeo non irascor, ut, si boni sint, fieri etiam publicos velim; eorumque industriam atque excellentem facultatem ex domestica exercitatione atque umbratili in adspæctum lucemque proferri, & publicis civitatum commodis inservire. Sed quoniam, quemadmodum quidem interpretor, eo vocor, ut de his ipsis, quod sentio, dicam: quoniamque universa de hac re disputatio eo pertinet, ut publicorum Doctorum præstantia ex privatorum contentione magis intelligatur; non committam ut publicis Scholis patrocinium, me agente, aliqua ex parte defuisse videatur.

Age vero, quicumque privatis Doctoribus tantum tribuis, ut præ his despicias publicos atque contempnas, est, quod a te mihi responderi velim: ut, si recte responderis, vincas: sin in hac responsione nullus fueris, desinas maledicere. \* Artem ne esse hanc docendi dicis? Artem profecto esse, sive artis quamdam similitudinem non negabis. Nam & certa utitur ratione ac via; & tractatione, ut reliquæ artes, augetur. Nunc quoniam esse artem dicis, quæro etiam ex re illud: facilem ne artem an difficilem esse dicas? Facilem non potes dicere, in qua nimirum negas publicos Magistros, qui se multum in ea diuque exercuerunt, satis excellere. Relinquitur ergo, ut difficilem dicas. Recte est. Sed cur eam solis pu-

I 4

blicis

\* Nam non solum scire aliquod artis est, sed, quædam ars etiam docendi. Cic. de leg. 2. 47.

blicis Magistris difficilem facis? Cur non potius, privatis, quam publicis difficiliorem? Necessè est enim privatos multis partibus plures esse, quam publicos. In difficili autem arte, pauciores usitatus est excellere, quam plures. Philosophi, Mathematici, Causidici, Medici, Architecti, Pictores, Statuarii, quia eorum artes difficiles putantur, excellentes multi admodum esse non possunt. Vide igitur quid sequatur, si difficilem docendi artem hanc statuis: paucos (id quod res est) paucos, inquam, posse in ea esse excellentes. Quod ego quum ita esse intelligerem, paucos hosce eosdem, non alios profecto esse arbitraber, quam quos summa cura ad publica magistraria deligi, & in hac una arte diu multumque exerceri videbam: quorum si numerum summamque inirem, eos, pro cuiusque civitatis modo arque urbis celebritate, aut duos, aut quinque, aut decem, aut viginti, aut, ut multum, triginta fortasse reperiebam: neque vero civitatibus vel frequentissimis male consultum existimabam, si in artificio tam difficili triginta eiusmodi artifices excellerent. Quid tu? Difficilem esse sane hanc artem fateris; paucos propterea in ea excellentes esse posse concedis; idemque privatorum Doctorum excellentiam publicorum dignitati anteponis: hoc est, triginta excellentes in frequentissima civitate reperiri posse Doctores negas: centum, ducentos, trecentos, eoque amplius, totidem nempe quot privatorum familiarum sunt, reperiri posse non negas. Quae unquam tam florentes Athenae tanta excellentium Doctorum multitudine redundarunt? O fortunatam civitatem, in qua plures praestantes Doctores, quam mediocres futores reperiantur! Siquidem multis familiis calceandis singuli futores sufficient; ac vero nonnisi singuli singulis familiis satis esse Doctores possunt. O levem! o illiberalem! o pene sordidam

didam artem hanc docendi nostram! in qua infimae fortis opifices plus etiam quam in artificibus suis excellere se posse confidunt. Publi Nigidi, Marce Varro, Cai Caesar, Marce Cicero, Fabi Quintiliane pudet me vestri. Quid fuit, quod tantum operæ in scribendis tam multis de arte sive grammatica, sive rhetorica voluminibus poneretis, si haec discere ludus est, docere cuiusvis? Vos vero, sapientissimi Italicarum civitatum publici Doctores, monitos etiam atque etiam volo, & vehementer hortor, ut siquidem in publica literarum professione expectationi hominum satisfacere non potestis, minusque idonei, quam privati Doctores ad vestras artes tradendas existimamini, ludos vestros ocludatis, publicum magistrarium deponatis, & privati esse Doctores condiscatis: probari enim aliter non potestis. Difficiles quidem primos in beatorum quasdam domos aditus offendetis; quod, quum e publica professione recentes sitis, putabunt homines, vos nondum, quantum fatis est, esse privatos. Sed durate, durate, inquam, & vosmet rebus servate secundis. Patebunt enim opinione celerius regificæ ædes, in easque ultro honorificentissimeque admittemini, si praesertim non tam literas, quam nescio quas potiores vobiscum artes, vendibiliorefque attuleritis. Nam scitote, non tam hic Doctorem liberis, quam domui curatorem, codici ac rationibus scribam, ruri etiam, si diis placeat, villicum queri. O tempora (nisi boni superi respexerint) literis calamitosa! O mores hominum praeposteros atque perversos! Hucine tandem omnia reciderunt, ut propterea publici tam male Doctores audiant, tam vacua in singulos dies publica Gymnasia fiant, tantopere domestica institutio commendatur atque invalescat, quod rei familiaris rationibus magis conducatur, privatos habere Doctores,

quam publicos ! Retexo jam orationem meam . Fateor , si optimi sunt , qui sint conservando augendoque patrimonio maxime utiles , fateor , inquam , istiusmodi privatos Doctores meliores esse quam publicos : fateor , non injuria publicas Scholas reprehendi ; nec optimorum Doctorum fieri in iis posse delectus , vehementer civitatibus incommodum esse confirmo . Verum mihi danda venia est , quod errore quodam populari inductus , in Doctore nonnisi docendi facultatem querendam esse arbitrabar : quam quum excellentem esse in publicis Doctoribus intelligerem , negabam , quidquam illis reperiri posse præstantius . Nunc , quoniam eos esse optimos , verbi falsa interpretatione decepti , ostendere non potuimus , conemur saltem , si forte dicendo id consequi poterimus , ostendere ; nihil certe in eo esse incommodi , quod interdum , vel potius , ut isti ajunt , nimium sæpe mutantur . Quid autem ? Hoc publicorum Doctorum magis est , quam privatorum ? An non hi sæpe dimittuntur ? Non ipsi sæpe missionem petunt ? Non denique interdum atque etiam sæpe mutantur ? Neque hæc mea magis sententia est , quam eorum ipsorum , qui hæc in Scholis publicis mutationes ferre se negant posse . Quod ita esse , quivis vel ex hac re , quæ mihi ante paucos hos dies ipsi accidit , sane faceta ac perridicula , existimare potest . Quum enim in optimum ceteroqui , mihi que amicissimum virum , sed peregrinis opinionibus nimio opere adductum , paulloque Scholis publicis infensorem incidissem , ac multa de crebra hac Magistrorum mutatione , tamquam ex veteri declamatione aliqua , deplorantem ac conquerentem audissem , dixi contra nonnulla , quæ res & tempus poscere videbantur . Tum eo omni sermone confecto , cum de quibusdam rebus aliis , tum ad extremum de Filiolo ejus festi-

vissimo

vissimo puero agere inter nos sane benevolo animo cepimus . Quem quum ego & ab ingenio , & ab indole , & a castissimis moribus mire laudarem : est vero , inquit , ut dicis ( nam quid dissimulem ? ) summa expectatione puer , atque is , quem certe numquam me poeniteat suscepisse . Sed Magistro bono est illi vehementer opus , qualem si quem inter auditores Rhetoricos tuos esse compereris , scito te mihi gratissimum esse facturum , si huic puero destinaris . Tum ego : quid , inquam , illine certe grandiusculo Magistrum nondum parasti ? Sexcentos , inquit ille plane stomachans , sexcentos ad hanc diem paravi ; sed totidem , alius alia de causa , dilapsi sunt . Quamquam , si verum queris , una fuit omnium atque eadem causa , avaritia . Ut est enim genus hoc hominum maxime sordidum , ac illiberale , simul atque spem lucelli majoris alicujus ostentari vident , diffuunt . Hic ego porro interpellans : honorificentius inquam , si videtur , de honestissimo probatissimoque civitatis ordine loquitor , de discipulo autem illo meo quid fieri possit considerabo . Et simul arridens , quum a me jam ille discederet , interim valde , inquam , gaudeo , Magistros vestris domibus ( id quod publicis Scholis non contingere initio sermonis tam dolenter quererebare ) contingere sempiternos . Nempe ita , ita est , inquam , plane Florentini . Una est hæc omnium Scholarum , sive publicas , sive privatas contemplerè , parque conditio ; ut in iis perpetui Doctores esse non possint . Quod ita tamen est verum , ut in publicis quidem per diu multos versari , ac nonnullos etiam consenescere videamus . Qui autem minimum durant suntque perrari , iis saltem magisterii unus est annus explendus . Quid putatis ? Primis illis latinæ grammaticæ rudimentis probe ediscendis plus annuo spatio requiri ? Atqui nonnulli privati Doctores exci-

terunt

terunt, (privatos dico, name publicis, hoc est e rerum peritis, & ingeniorum, que vulgo hominum natura fert expertis, nemo quod sciam, usque adeo deliravit) qui non elementa modo illa, sed universam rei grammaticæ rationem tradituros se puerulis non annos, sed sex opinor mensibus professi sunt. Nimum hoc quidem, ac perabsurdum. At vero æque illud falsum, primæ illi institutioni non octo mensium operam, aut ad summum decem sufficere; sit modo qui docendus est non omnino hebes ac tardus, afferat studium, adhibeat diligentiam, præstet Doctori suo assiduitatem. Hunc in illa puerili doctrina satis instructum, si Magister tuus repente deferat, alterique committat, recens autem hic in fidem ac disciplinam suam accipiat; & reliquam, ut ita dicam, ædificationem, recte ac probe a veteri jactis fundamentis, superstruat; absolutoque (id quod fieri certe potest, fitque plerumque) annuo opere atque perfecto, alteri alumnum suum tradat, politioribus quibusdam literis, quam humanitatem vocant, imbuendum; atque hic demum Rhetori formandum perficiendumque commendat. Quid hi doctrinæ comparandæ gradus, quid hæc Doctorum in alio quodam genere ac munere successio discernitibus possit officere, sane non video. Unum quoddam est opus, adolescentem in hisce literis, quæ grammatica atque rhetorica (de harum enim Magistris tota hac oratione quærimus) continentur, erudiri. Hujus autem operis multæ sunt partes, quas minime necesse est omnes unum atque eundem Doctorem obire. Namque, ut ab illo simili, quod supra induximus, ne recedamus, ne in ædificiis quidem constituendis quicquam operis aut firmitati aut elegantiae obest, ipsos inter se fabros atque artifices totius operis faciendum vires, officiaque partiri. Quin immo illud iuvenire

vulgo intelligimus, ut, qui fodiendis jaciendisque fundamentis maxime apti sunt, iidem parietibus tollendis, ferruminandis, ad perpendicularumque extendendis, non æque idonei reperiantur: nec, qui in hoc valuerint, videmus continuo eisdem tectorio albarioque inducendo esse maxime accommodatos: nec horum ipsorum hac una in re scientiam, atque artificium ad tectum apte imponendum, ac commode fastigandum multum admodum conferre. Similiter in oratorio hoc opere, quod facultate unum, institutione multiplex est, nihil impedit, quominus ei perficiendo plures tanquam artifices, alii in alio partium operis genere præstantes accedant, & suam veluti provinciam quisque fortiatur. Atque alii quidem latinitatis in adolescente tanquam fundamenta ponant; alii, reliqua eodem pertinentia tradentes, tanquam parietes tollant; alii humanitatis atque elegantiae quemdam colorem tanquam albarium alliniant; alii demum in artis intima, ac veluti ad oratorium culmen & fastigium, eundem illum adolescentem perducentes, tanquam coronam ac tectum imponant. Utriusque autem rei causam exquirere si velimus, illam verissimam reperiemus, quod in utraque facultate ædificandi, & instituendi, unum est quiddam, quo omnis singulorum artificum inuenta mens spectet, quoque singulare cujusque ac proprium opus dirigatur; ut, quamquam diversa inter se ipsa sint opera, si tamen eodem singula referantur, perinde sit, ac si non a multis, sed ab uno omnia administrantur. Hoc dictum fortasse obscurius, dicam si potero, planius. Videris ne in exstruendo ædificio sic illa ab aliis fundamenta agi atque constitui, ut & altitudine & laxitate parietibus superimponendis proportionem respondeant; parietes autem ipsos ab aliis ita tolli atque educi, ut & cameris, & tabulatis, & recto

testo fastigioque convenient? Reliquaque omnia sic esse inter se apta, ac veluti concinentia, ut ima cum mediis, media ipsa cum imis summisque concordent? Quid ita? Quia, quamquam non unius fabri opera industriaque advocatur, at unius architecti concepta animo, suisque momentis, certisque modulis exacta, descriptio ac forma una perficitur. Quid in docendo? Hoc item multiplici in opere plures tamquam manus versantur, alia atque alia obtinentur munia, rerum est plurimarum functio atque agitatio; verum omnia unâ demum mente administrantur; una est forma totius operis atque descriptio; unus omnium moderator atque architectus; una docendi est ratio; unum atque idem magistrarium: ut proinde non fere magis latino Oratori ab ipsis initiis formando plurium Magistrorum institutio, quam exædificandæ ab ipsis fundamentis domus varia ac diversa plurium fabrorum opera impedimento esse possit. Quo quidem loco illud mihi venit in mentem dicere, quo haud scio an dici verius quicquam possit, Magistros in publicis Scholis non (id quod causæ bonitate confusus paullo ante dederam atque concesseram) non, inquam, annuos, sed esse perpetuos. Non enim Magistros eos esse vere existimare possumus, qui neque a se conditas artes profitentur, neque sua præcepta tradunt, neque ab se artificii sui, sed ab aliis peti imitationem volunt. Duces hos ego ad eas artes, interpretes quosdam, comites, adjuutores voco; magistros vero non alios, nisi quorum ipsæ sunt artes, atque præcepta, a quibusque imitatio petitur, duco. Itaque quam ante annos ferme septemdecim rhetoricam hanc artem docere institui, primumque sum auditores meos, florentissimos juvenes alloquutus, cum alia quædam in hanc sententiam, tum illud dicere me ac commemo-

morare

morare memini; in quo animadverti universos maxime commoveri: errare, si qui me rhetoricæ Magistrum illo anno fore arbitrarentur: habere eos jam inde ab institutis publicis Scholis excellentissimum Rhetorem, quo nemo unquam melior extiterit, nec vero esset existurus, Marcum Tullium Ciceronem. Hunc audirent, huic parerent, ad hujus se unius similitudinem conformarent: me, quamdiu tantus Magister foret, non commissurum, ut vocem ullam meam de rhetorica arte mitterem, aut opus ullum meum ad imitandum proponerem: arrogantissimi hominis esse, & non ferendi quicquam sperare se melius esse allaturum; itaque ab eo uno omnia cum præcepta, tum exempla peterentur; cujus & præcepta ea essent, ut ex optimarum vel Græcorum vel Latinorum orationum animadversione præstantiora condi non possent; & orationes ejusmodi, ut nullis cujusquam vel optimis præceptis possent absolutiores evadere. Unum modo me illud de me polliceri atque adeo præstiturum, ut ducem me ad illum adire volentibus præberem; & quoniam aliena quadam lingua loqueretur, interpretis vice defungerer; & quæ præciperet, & quæ ex præceptis atque arte diceret, explicarem: diligentiam, assiduitatem, fidem meam in hac una re pollicebar: Magistrum me neque fore, neque si maxime vellem, esse posse testabar. Hæc ego jam tum Florentini, non oratorio quodam more ad tempus causamque, sed plane animi mei sententia vereque dixi. Magistri appellamur: at nonnisi operarii quidam & Ministri Magistrorum atque interpretes sumus. Ipsi illi Donati, Alvari, Ambrosii a Visitatione, Bonciarii, Butii, Lancellotti, Soarii, Decolonii, quique eorum similes in Scholis grammaticis aut rhetoricis præleguntur, Magistris non sunt. Observatores modo quidam atque enarratores artifi-

cii



cū ejus, quo in re sive grammatica, sive rhetorica veteres illi ac germani Magistri utuntur, appellandi sunt, atque habenti. Nihil de suo, nisi animadversiones quasdam afferunt; omnem præceptorum rationem ex illorum diligenti observatione constituunt: si quid edicunt, id sua quidem voce declaratum, sed ex veterum illorum sensu prolatum intelligi volunt, eosque solos Magistros esse atque haberi æquo animo ac summa cum voluntate patiuntur. Jam veros hosce ac solos Magistros quis non a Scholis publicis numquam removeri, numquam mutari, ac esse plane perpetuos intelligit? Magistris autem manentibus, quantum tandem referre ad institutionem arbitramini, si nos, qui non nisi ministri quidam, ut sæpius dicam, atque interpretes sumus, ad eam pene unam rem adhiberi, ut vocem vivam discipulis præbeamus, & nostro ore magistri ipsi illi sua, non nostra animi sensa depromant; quantum, inquam, referre arbitramini, nos si recesserimus, & biennio, vel etiam non plus anno, interpretandi hoc munere defuncti, aliis deinceps atque aliis eandem provinciam planam, atque expeditam tradiderimus? Interpres recessit, novusque successit: Quid? At manent præcepta; manet docendi ratio; manet magisterium: magistri denique illi, quos dixi, legitimi atque ordinarii, & tanquam totius operis architecti non recesserunt; ut si discipuli in Scholis iidem maneant, qui proximo anno fuerunt, nec se sive ad superiores facultates, sive, ut fieri plerumque video, ad alias quasdam potiores, hoc est, magis quæstuosas artes contulerint, ii, novi interpretis, ac doctoris adventu, vocis alium quemdam auribus suis accidere sonum sentiant; rem quidem ipsam atque doctrinam minime immutatam, sed plane esse eandem intelligant. Si quis est autem, qui, quamquam esse hæc

vera

vera fateatur, interpretes modo in Scholis publicis aliquando, non magistros magisteriumque mutari, horum tamen ipsorum interpretum mutationem esse incommodam discipulis arbitretur: huic ego homini, nimium fortasse difficili ac moroso, brevissime respondebo. Primum, si quid in eo esse incommodi concessero, tamen non esse ejusmodi, ut cum plurimis publicarum Scholarum commodis conferratur; nec, cum res humanæ omnes aliqua in re laborent atque deficiant, neque esse possint ex omni parte perfectæ, esse æquum, ob eam unam rem Scholas publicas damnari ac respui, quod ab aliquo minimo incommodo se junctæ esse non possint. Deinde, id ita esse incommodum, ut in eo ipso tantumdem commodi reperiat. Nam si quid nocet mutatio, propterea nocet, quod aliquando qui successit non eadem sit, qua qui recessit, sive doctrina, sive doctrinæ tradendæ facultate. Quid vero, si hæc ipsa in superiore forte minora fuerint? Nonne huic succedi, melioremque suffici ac subrogari est utile? An est aut aliqua lege cautum, aut rerum conditione fatale, ut deteriores esse semper debeant, superiori quicumque successerint? Concludam brevius. In hujusmodi mutationibus, aut parem, aut superiorem, aut inferiorem facultate succedere necesse est. Si par succedat nihil incommodi est; si superior aliquid commodi; si inferior certe nonnihil incommodi, sed facile & quamprimum mutatione, immo nonnisi mutatione atque aliqua successione tollendum. Ita, quæ mutatio nonnihil ob futura videbatur, eadem in contrario genere aliquid prodesse intelligitur.

Reliquæ mihi nunc orationis partes dux esse deberent: altera de diurnitate docendi in Scholis publicis; altera de quadam morum, ut dicitur, corruptela; de quarum utraque, deque iniquissimis om-

K

nium,

nium, quæ fingi possunt, criminationibus, neque dicendi præstitutum mihi tempus, neque satietas audiendi vestra, neque verò defatigatio mea sinunt me dicere ea, quæ copiosissime dici gravissimeque possent. Erit mihi alius eas coarguendi locus. Nolo nunc aut pauciora dicere, quam rei gravitas postulat, aut plura, quam & ratio vestri commodi & temporis angustia permittunt. Tum causæ utilius fore intelligo, si ad ejus gravissimas partes tractandas viribus quam inregerrimis, ac tamquam recens accessero. Nunc videte, quid vobis de una illa criminatione, quam depellere a Scholis publicis conatus sum, statuendum putetis; ex eaque, reliquarum conjecturam facite. Ostendi, Magistros publicos a sapientissimis viris delectos atque probatos, & in artificio suo diu multumque exercitatos, plurimisque rebus, quibus hominum industria maxime acui solet, atque ali, vehementer excitatos, esse optimos, & ad docendum fere, præter cæteros doctos homines, accommodatos: nec quod aliquando, aut etiam saepe mutantur, quicquam id obesse discipulis; nam neque ante mutantur, quam eam quisque doctrinæ partem tradendo abolverit, ex qua sic est ad reliquas aditus atque ascensus, ut in ea tamen separata quædam ab aliis, per seseque consistens scientia ac disciplina constituatur; & ita demum mutantur, ut magistris, sive potius magistrorum quibusdam ministris atque interpresibus mutatis maneat tamen, atque adeo perennet docendi eadem ratio, atque idem plane Magisterium. Habeant hoc a me interim iudicii mei, deque eorum præstantia mirificæ opinionis testimonium publici & hujusce civitatis & universæ Italiæ Doctores; reliqua autem ad Scholas publicas pertinentia, pari fide diligentiaque tractata, alio tempore a me eodem expectent. Pro quo labore meo ac

voluntate hanc mihi unam referri ab iis gratiam pervelim, ut, si quos, natione quidem Italos, ac studio, sententiis, moribus denique peregrinos, hac oratione mea offensos forte rescierint, quod non in hoc Italia publice docendi instruo alicujus externi hominis opinioni subscripserim, ne meam causam deserant; sed consilium ac factum meum defendant; mihi que eos placare, & conciliare studeant: restenturque meo nomine atque confirmet; mihi nullas esse cum exteris eruditis hominibus susceptas inimicitias, quorum ingenii, atque industriæ vehementer faveo, doctrinis ac libris plurimum delector, ac juvor; unum modo illud mihi non minimum displicere, nec ita id moderate ac leviter, ut Italorum nonnulli solent, ferendum videri, quod ita sua illi venditent, ut nostra contemnunt, tantumque tribuant sibi, ut nobis derogent omnia, nec modo ab se sua discere, sed nostra etiam dediscere, ac repudiare nos velint; eoque arrogantia atque impudentia processerint, ut, si quando aliquod ad eos a nobis egregium opus, quod contemnere non possint, affertur, ita hominem Italum laudent, ut contumeliose Italiam flagitioseque vituperent. Solent enim jam sic vulgo exclamare: O factum male! Quod non Londini, quod non Parisiis, quod non denique extra Italiam tale sit ingenium exortum! quasi vero portentis ac prodigiis simile sit præclara ingenia in Italia nasci, aut digni non simus, quos inter ingeniosus aut doctus ullus existat. Hosce ne spiritus? hancine superbiam, atque arrogantiam? hancine maledicendi tam impunitam licentiam, cujusquam Itali non dicam animus ferre, sed aures possint? Hosce nos de nobis tam abjecte sentientibus, tam libere impudenterque obloquentibus blandiri, adulari, obsequi sic convenit, ut quidquid sive novi attulerint, sive antiqui ac recepti im-

probarint, continuo nos, sine iudicio ac ratione certa aliqua, aut amplectamur; aut aspernemur? Atqui, mihi credite; nisi huic effrænatae carpendi nostra libidini Itali homines atque audaciæ conjunctis animis ac viribus restiterimus; si, ut quodque illi improbarint, ita nos id etiam improbandum censuerimus; si nostra ad illorum arbitrium, non ad decreta Majorum ac veritatem ipsam exegerimus; nisi nos per nos stare, nostrisque inventis atque institutis valere posse ostenderit; actum, actum, inquam, est, de Italici splendore nominis ac dignitate, deque Itolorum veteri in literis principatu ac regno. Decus, existimationem, libertatem denique ipsam amittimus: dicemus ab aliis, qui alios docere consuevi-  
mus; certisque quibusdam rationibus turpiter seruiemus, qui cunctis gentibus imperare solebamus. Quamque nos illæ sibi tam dicto audientes tamque addictos, obæratos, emancipatosque intellexerint, non illæ quidem nos plus diligent, sed magis contemnent; nec docilitatem illam nostram, sed stoliditatem ducent: urque jucundior sibi ludum de nostra fatuitate dent, sua ipsa illa, quæ paulo ante ipsis auctoribus, acceperamus, damnare rursus (quod non in una re jam fecerunt) incipient, nosque ad vetera instituta nostra, quasi sua atque nova, revocabunt. Nos vero assidua novandi cura, tamquam aliqua tempestate jactati, neque ullum certum cursum ac præscriptum tenentes, modo vetera repudiantes, modo nova amplectentes, modo hæc ipsa fastidientes, atque illa rursus amantes, aliorum nutum in omnibus intuentes, & ab eorum levitate pendentes, nostrique semper dissimiles, insulsi quidam, fatui, vecordes, atque omnium gentium ineptissimi iudicabimur. Consistamus igitur in Majorum nostro-  
rum sapientissimorum hominum, vestigiis atque

institutis. Nostrorum plus apud nos, quam alienorum iudicia valeant: a nostris moribus, quibus semper viximus ac præter cæteras gentes maxime floruitus, ne recedamus: peregrinorum levitatem atque arrogantiam aspernemur; neque iis, in studiorum præsertim ratione, si sumus Itali, pareamus, sed imperemus. Dixi.

## PRO PUBLICIS SCHOLIS

## ORATIO SECUNDA

## HABITA FLORENTIÆ

Coram

## FRANCISCO MARIA GINORIO

Fesulanorum Pontifice

## AB EODEM LAGOMARSINO.

**P**UBLICARUM Scholarum defensionem, a me superiore anno institutam, atque ex hoc ipso loco susceptam, meministis, ut opinor, Florentini, ita propter summam rerum dicendarum copiam ac varietatem, non potuisse unica oratione universam comprehendere; ut quum tria proposuissem, de quibus dicerem, vix unum illud, quod primum in partitione fuerat, de Magistrorum genere ac mutationibus, explicarem; reliqua autem duo, de diuturnitate docendi, deque morum corruptela, omnino intacta reliquerim. Quod quum ita tum accidisset, sic tamen putabam fore, facile ut reliquas criminationes illas altera dumtaxat actione complecterer; & utriusque satis commode uno, atque eodem tempore responderem.

K 3

Verum,

Verum, quum ad eas ipsas defensionem meam compararem, omniaque quæ in re essent, satis adtenso animo nuper inquirerem, digererem, expenderem, adornarem, ita se mihi multa in illa commentatione obtulerunt, ut, nisi suscepto patrocinio deesse velim, tribus omnino actionibus, quod reliquum causæ est, mihi esse absolvendum intelligam. Nam diuturnitatis quidem refutatio non nisi bipartita esse potest. Quum enim plurimos, & vere ut dicam, plerosque, hæc quidem tempestate, diutius, quam oporteat, in publicis Scholis versari, nec satis unquam eruditos evadere adolescentes constet; duo certe illa præstare atque efficere debeo, ut & id non esse publicis Scholis adscribendum ostendam, & veras hujus ipsius rei causas investigem, ac proferam: quo iis repertis, atque enunciatis, neque ullus in animis hominum scrupulus, aut dubitatio relinquatur, & ab hujus criminis suspitione publicas abesse Scholas magis, ac magis intelligatur. Itaque duplex mihi actio ex una illa criminatione nascetur: quarum altera in purgatione criminis, altera in diuturnitatis hujus causarum investigatione versabitur. Tertia denique illa omnium gravissima adcedet actio de moribus. Verum duo hæc quidem alias; nunc primum illud, si placet, de docendi diuturnitate videamus.

Nimis diu in Scholis publicis detineri juventutem queruntur. Si Scholarum ipsarum id vitio contingit, gravis sane querela, justa reprehensio, res ipsa denique omni animi adversione providenda, atque emendanda. Neque enim, aut tam longum est homini ad vivendum spatium a natura concessum, aut tam modica hujus ipsius vitæ occupatio est, ut non vel in unius anni jactura damni plurimum fiat. Si non publica, sed privata juventutis institutione hoc adsequimur, ut aliquot annos, aut etiam menses orio

ac cessationi, hoc est morti cuidam demptos, agendo, cognoscendoque, id est, veræ hominis vitæ, addere possimus: valeant doctores publici, gymnasia autem publica non claudantur modo, verum etiam disturbentur. Non juvenus propter gymnasia, sed propter juventutem gymnasia sunt: huic illa oportet, non hæc illis adcommoari. Potior sit omnium ratio, quam paucorum; nec consuetudini, sed utilitati publicæ serviatur. Equidem, quod ad me adinet, provinciam hanc docendi meam, quam jamdiu maximas inter ærumnas gero, non modo non invitus, sed lætus, atque alacer deponam. Videbor mihi aliquando liber, si meis me literalis sine interpellatoribus dederò; & aliquid fortasse discere incipiam, quum alios docere destitero. Magnam habeo privatis doctoribus gratiam, qui me hoc onere, quod vix ferre jam possum, levabunt; nec minorem meorum auditorum parentibus, qui, quo celeriores liberis suis cursus doctrinarum præstent, moram mihi omnem ad eandem inflammato studio ab ipsa pueritia contententi, removebunt. Probo consilium; propositum laudo; & egregiam istam nullas in vita negligendi literas voluntatem, ac tamquam avaritiam temporis, vehementer esse commendandam puto. Placet vox illa mihi Parentum, & cum plenam charitatis erga liberos, tum etiam sapientissimam judico. Volumus, inquiunt, grammaticos esse liberos nostros, volumus esse rhetoricos; sed mathematicos, sed philosophos, sed theologos, sed reliquis doctrinis omnibus instructos esse non nolumus. Neque ulla pars vitæ studii vacet, neque omnis uni studio ætas addicatur. Prima celeriter percurrantur, ne nimis fero ad extrema veniatur. Ut non multum ad carceres hæseris, haud multum tibi admodum, ad metas ut pervenias, supererit. Non igitur in Scholis publicis juvenus mi-

fera, confenescat; non in grammaticis, non in rhetoricis pars vitæ maxima, ac vere optima consummatur: suum etiam reliquis disciplinis tempus, suum studium, suaque opera tribuat.

Hæc qui commemorari audierit, & tam serio graviterque agi a plerisque parentibus animadvertit; profecto cum illos præclare sentire, magnificeque loqui intelliget, tum illis obtemperandum, eorumque egregiam hanc voluntatem omni ope adjuvandam existimabit. At vero quum idem deinde videat, dimissos e Scholis publicis adolescentes non ad alias facultates ferme contendere, sed omni omnium literarum objecta cura, vel male agere, vel agere id unum, nihil ut agant: sane miretur, quid tantopere prope rato opus esset; cur nihil longius parentibus videretur, quam ut illi, sæpe nondum satis eruditi, e gymnasiis excederent; cur denique non eam partem ætatis, quæ maxime proclivis ad vitia est, ac lubrica, maluerint a suis sub Magistrorum liberali disciplina, quam in licentia, otio, desidiaque consumi.

Quotus enim quisque est ex iis, qui tam celeriter gymnasia reliquerunt, aut, ut ipsi loquuntur, studiorum curriculum confecerunt, quibus non hæc ipsa studia, non cupiditatem, ac sitim, ut fieri oportebat, incendisse; sed fastidium, ac satietatem adtulisse videantur? Num eruditorum cœtus celebrare, num commentari, num scribere eos aliquid, num denique lætari scriptores ullos, nisi si forte aut Marinum, aut Guarinum, aut aliquem eorum similem suspicamus? Non eos tota passim urbe composito, ac delibato capillo, mollissimo incessu, rauliebri prope cultu concurrere? Non matronarum cathedris, aut curribus hæere? Non ludis, non spectaculis omnibus interesse? Non etiam popinas, ac tabernas frequentare? Non amoribus irretitos? Non voluptatibus captos, non ære alieno

obli-

obligatos, atque adeo pressos videmus? Unum modo habent, in quo reprehendi non possint. Nam vigilantes esse audio; qui quidem totas noctes in alea choreisq; consummant. Si qui autem, aut equis, aut canibus, aut gladiis, aut fidibus delectantur, ii demum esse aliquid, ac multum quidem agere existimantur. Et vero non plane nihil agunt, suntque in eo ipso, quod agunt, quantum id cumque est, si non laudandi, ac certe ferendi. Sed videtis quomodo desciverint, & in pejus lapsa sint omnia: siquidem quæ vitia non sunt, eas virtutes ducimus, & in laude ponimus, quæ vix vituperationem effugiunt. Nam certe, & equitare, & venari, & digladiari, & canere non multum veræ laudis habent; iisque esse impensius deditum, haud multo est plus, quam esse in ipsis occupationibus otiosum, sive in ipso otio occupatum. Vere igitur mihi videor esse dicturus, quidquid longioris temporis in hac quidem vivendi ratione (quæ tantum a consuetudine, institutoque majorum deflexit ut non iis, sed aut Ægyptiis, aut Asiaticis, aut Sybaritis, aut si quæ delicatioribus, mollioribusque fuisse gentes memorantur, prognati esse videamur) quidquid, inquam, longioris temporis in adolescentium institutione consumeretur, non id bonis ullis artibus, aut doctrinæ, sed deliciis, sed voluptatibus, sed, ut levissime dicam, otio, atque inertæ subductum iri. Quæ quum ita sint, utinam hanc mihi facultatem causa daret, ut possem hoc confiteri: diutius, quam addiscendis literis esset satis, adolescentes a Scholis publicis detineri. Hoc ego crimen non reformidarem, sed libenter agnoscerem, nec modo non refutandum, sed mihi præ me ferendum putarem. Quum enim morum potior, ac probitatis, quam eruditionis cura esse debeat; præstetque improbis, ac noxiis civibus carere, quam literatis hominibus abundare

retra-

republicam; quid ad publicarum Scholarum decur, ac laudem commemorari a me illustrius posset, quam eas hoc in hac vita moribusque præstare, ut quantum moræ in docendo juventutis eruditioni adferunt, tantum temporis adultioris ætatis licentiæ, aut certe inertix detrahatur? Sed non licet tantum bonitatis, atque splendoris causis adrogare: non possum Scholis publicis diuturnitatem in docendo istam salutarem, non singulare in republicam beneficium meritumque tribuere. Id igitur sumamus, eoque contenti simus, quod simplex veritatis ratio, & causa ipsa concedit. Neque enim ejusmodi illa est, ut, nisi mendacio nixa, non possit firmitate sua, ipsaque veritate consistere. Nego longiora, quam addiscendis literis necesse est, in Scholis publicis disciplinarum esse curricula: nego domestica privati cujusquam Doctoris institutione fieri contractiora.

Atque hoc quidem posterius cum illa exceptione dictum intelligi volo, ut, si publicæ institutioni privata adjungatur, atque altera ab altera mutuo vicissimque adjuvetur, non neget multum sane id ad discendi celeritatem conferre: illa modo præscriptio in hoc genere, cautioque adhibeatur, in eoque sita esse omnia existimentur, ut, non solum non contraria, sed ne diversa quidem alia ab alio doctore tradantur; & ut privatus ille non princeps ac dux in instituendo sit, sed veluti quidam administer ac comes, & tamquam partium secundarum se esse actorem patiatur. Hæc si fiant, si domesticus hic suam ad illius publici institutionem adcommodet, si eadem discipulis ab utroque inculcentur, si domestici operis, si Scholastici ratio repetatur, si denique id agatur, ut, quæ in publicis puer Scholis didicerit, ne ea per negligentiam fœcundiamque domi dediscat: absolutissimum fore opus censeo, nec quidquam ad doctrinam

nam celeriter adripiendam fieri posse adcommodatius puto. Licet hinc etiam omnes intelligant, id quod superiore actione testatus sum, privatis me non esse doctoribus infensum, quorum in discipulis instituendis operam, & vehementer probem, & mihi etiam deposcam, ac flagitem. Utinam multos tales nanciscar, qui in excolendis, tamquam agris, adolescentulorum ingeniis, jugum pariter mecum ferre non detrectent. Utinam ea facultas omnibus discipulorum meorum parentibus detur, ut liberis suis privatos etiam adhibere doctores possint. Magna profecto me laboris, ac molestiæ parte liberarent, (quamquam id est levius, nec, mihi ut tribuatur, postulo) sed certe valde ita liberorum bono studiisque consulere; valde id ad eam, quam potissimum ipsi spectant, discendi festinationem conducere. In quo sane mirandum est, vehementius nos de suis suorumque commodis laborare, quam ipsos; nec nobis tamen parem gratiam pro tam liberali voluntate singularique studio referri. Nam nos quidem, quoties instituere eorum liberos, atque erudire possimus, privatorum doctorum operam, ac ministerium ultro advocamus; ipsi nostram operam adspiciunt, atque rejiciunt, maluntque a solis privatis, quam conjunctim a publicis, in suis liberis erudiendis elaborari: quasi non modo non erudire eos, sed ne conferre quidem aliquid sive ad eorum eruditionem, sive ad erudiendi celeritatem possemus, si ad privati doctoris præcepta, atque institutionem nostra vox etiam; nostræque facultatis, & industriæ non nihil adcederet. Sed nimirum non odio id nostrum, neque quo de facultate nostra secus, ac nos vellemus, existiment, sed plane amore, ac miseratione quadam commoti

impulsique faciunt. Vident confluere undique ad nos plures, quam ut uni tanto tot erudiendorum oneri ferendo pares esse possimus. Vocem profecto ipsam, ne si stentorea quidem sit, tantæ auditorum frequentiæ sufficere non putant posse. Nobis parcunt; nostris viribus ac valeudini consulunt; minus occupatis, atque distentis laborem, atque onus imponunt. Quis non hac tanta tamque inusitata humanissimorum virorum benignitate capiatur? Cujus non publici Doctoris animus, ac voluntas ad mutuo respondendum tantæ erga se benevolentiae, sollicitudini, curæque excitetur? Nemo, ut opinor, eorum est, qui non eo etiam ægrius ferat, nequaquam ad se talium parentum liberos mitti, quo magis ad se, suaque commoda intelligunt non mittendi causam pertinere. Nobiscum igitur præclare agitur: major nostri ratio, quam vulgo existimatur, habetur. Redeamus sane cum iis hominibus in gratiam, a quibus vanis quibusdam suspicionibus, fictisque malevolorum, ac dissimularis rumusculis abalienati eramus. Nihil est de nostra dignitate, aut existimatione detractum: aliquid etiam commodis nostris est, degendæque vitæ tranquillitati concessum. Privatis doctoribus timeo. Vereor ne majus iis onus, quam quod ferre possint, imponatur. Levari nos labore molestiaque gratum est: gravari eos opprimique non est æquum. Atqui, nisi provisum sit, quantum adsequi conjectura possum, debilitentur nimio labore, atque inter opus deficiant necesse est.

Video enim eo illos fere arcessiri, ubi robusta firmaque ætate florens paterfamilias, amans reipublicæ civis, non infœcundam uxorem superum benignitate nactus, catervas liberorum patriæ, ac gentis incremento procreavit. Nec vero eos genitrix, ut terra pariens Titanas, uno omnes conceptu, fatique

loquitur

fudit.

fudit. Quamquam omnes multum de parentibus referant, fratresque eos esse germanos, vel primo aspectu possis agnoscere; at ætate, at ingeniis, at doctrina differunt. Maximus quidem natus, nec jam impubes, ac puer, sed plane juvenis, cæteris, ut ætate, sic etiam eruditione antecellat necesse est. Eum ergo rhetoricis institutionibus, atque poeticis maturum autumo. Proximus quidem is videtur, qui eandem facultatum initiis, & mitioribus quibusdam literis sit atque humanioribus imbuendus. Reliquos deinceps minores illos in grammaticis detinendos omnino, exercendosque censeo; sed ita, ut non omnia omnibus æque conveniant; verum ut minimis prima illa nominum, verborumque elementa tradantur; grandiusculi participiorum, gerundiorum, reliquarumque rerum grammaticis illis tanquam mysteriis iniciantur; tertiis intimior latinæ syntaxis ratio explicetur. Quid vero festivissimo illo puellarum choro faciemus? Non ne ipso ore gestuque declarant, cupere se etiam, ac velle una cum fratribus erudiri? Easne lanam modo, ac colam ancillari ministerio semper tractare patiemur? Non indoli naturæque indulgebimus? Non honestissimæ voluntati obsequemur? Nolo Pieridas esse mulieres, sed nec plane amufas, ac rusticanas evadere. His igitur sua quoque cura impendatur; sciatque privatus noster recensque doctor postremum hoc ab se experi munus, atque exigi, ut rationem legendi scribendique puellas etiam duas, tresve, quatuorve doceat.

O miserum atque infelicem, quisquis is est, cui tam multiplex, tam varia, tam impedita procuratio demandatur! O gravem! o ærumnosam! o horribilem vitæ conditionem! Hoc nimirum illud erat, quod verebar, idque animus quasi divinans præfagebat, fore, uti misericordes isti parentes, qui aliquid

sup

ex la

ex labore nostro, nostrisque occupationibus, domi suos liberos continendo, deonerare vellent, nimium iidem ac non ferendum onus in privatos doctores trajicerent atque transferrent. Miseret me certe hominis istius, qui tantis literis instructus atque abundans, quantas oportet esse ei, qui non unus e multis, sed inter multos prope singularis, a copioso & locuplete patrefamias conducitur, ut grammaticum, ut poetam, ut rhetorem, ut mathematicum, si necesse est, ac philosophum apud se agat, primum totos dies cum pueris puellisque vir gravissimus, & doctissimorum hominum cœtibus sermonibusque aduersus, versari cogatur; deinde aciem ingenii sui, vimque doctrinæ prope immensam in exiguum arctumque concludat, & facultatem suam in orationibus poematis, theorematibusque subtilissimis exercitaram ad levissimas sane putidulasque præceptiunculas demittat ac contrahat.

Sed quid facias? Ita homines sunt, ut, quæ vitæ conditio acerba tibi ac non ferenda videatur, eadem aliis valde probetur atque expetatur. Dimittamus igitur istos, qui privati magisterii provinciam tamquam formosam aliquam multisque procis petitam sponsam nacti, non modo ut sui misereamur, non postulant, verum etiam sibi invideri a nobis putant. Sed habeant sane sibi totum isthuc, quidquid est formæ mirificæ atque elegantis; me quidem certe rivalem non habebunt.

At vero, si non eorum, quod ita ipsi malunt, miserebor; non poterit certe mihi, non vobis, Florentini, non prudentissimo cuique viro tot ingenuorum una in domo conditio non miseranda vehementer videri. Unusne tam multis, in docendi generibus, dissimillimis sufficere? An possunt orania promiscue omnibus tradi? Nihil inter lectionem scripturamque

que differt? Rhetoricæ ne præceptiones possunt grammaticis disciplinis ad commodari? Non alia oratorum; alia poetarum est institutio? quid orationi cum carmine? quid figuris dicendi cum emendata locutione? quid scriptori cum anagnoste? Alius alii sit impedimento necesse est. Quantum uni tribueris, tantum subripueris alteri. Non potes non aliquem negligere, qui omnes complecti velis: nisi autem omnes complexus fueris, certe aliquem negliges. Non intelligo, quid ista domestica institutione discipuli tam dispares adjuventur. Temporis compendium in ista tam multiplici doctrinæ ratione non video. Ut multum operæ singulis culturæque impendatur, vix poterit quoque die sesquihoræ spatium unicuique contingere. Quantulam autem est hoc, non dico ad discendi celeritatem, sed ad mediocritatem sciendi? Tu mihi etiam Scholas publicas erimaberis, ac nimis longam in iis esse institutionem quereris? Quinque solidas diurnas horas eadem, ut dicitur, incudem tundimus. Idem opus, sive grammaticum, sive rhetoricum, sive poeticum sine intermissione urgemus. Ferrea sint licet, quæ tractamus, ingenia; cedant tamen repetitis ictibus necesse est, atque mollescant. Aut nullum docendi discendique compendium est, aut hoc est profecto, eadem iisdem diuturna opera perpetuaque inculcare.

Placet, inquit, consilium: sic igitur faciemus; singulos singulis liberis nostris privatos doctores adjungemus, qui eadem assidue iisdem inculcent. Id si fecerimus, profecto vicimus. Neque enim tam celeriter publico doctori, qui tam multos vulgo suscipit instituendos, erudire suos licebit, quam privatis nostris, qui uni sese totos impendent.

Hac ego, tam subita tamque acuta istorum interpellatione oppressus, atque percussus, quid tandem,



Florentini, reponam? Quid me vos responsurum putatis? Fortasse id dicam, quod dicturum me nemo vestrum suspicatur. Videte, quam non ego meam causam agam, sed pro literis, & pro publicis utilitatibus ac commodis laborem. Quod quidem mihi publicos doctores concessuros certo scio, nec me prævaricationis alicujus acturos reum, si quod est plerisque mortalibus maxime gratum, reipublicæ autem ipsi prope æque salutare futurum, quamquam minus Scholis ipsorum utile, hoc tempore dixerō. Ego vero, si qua in civitate tanta sit excellentium doctorum copia, ut singulis adolescentibus singuli excellentes doctores possint adtribui, non dubitabo privatam istiusmodi institutionem si non publicæ anteferre, at certe cum ea propemodum comparare. Ne sic quidem publicæ institutionis illa, quam quærimus brevis celeritasque æquabitur: veruntamen neque tanta erit hujus privatæ diurnitas, ut non, in hoc hominum tam insolenti publicarum Scholarum fastidio, ferri quodammodo atque adeo negligi possit. Sed tam multos istos excellentes utinam reperire doctores possumus? Fac reperiri. Ex iis ipsis quam multi a privato magisterio isto, humili, obscuro, ærumnosissimoque abhorrebunt? Quo magis excellent, eo minus volent: facultati obstabit ambitio: præstantia dignitate obruerur. At amplissimis præmiis propositis, promissisque ingentibus invitabuntur. Quid dicam hoc loco, plane nescio, Florentini. Non enim divitias cujusquam civis, neque magnificentiam fati novi. Unum tamen illud dicere non omittam, hoc vulgo in magistris sive privatis, sive publicis conducendis accidere, ut qui liberales in eos munificique esse vellent, ferme non possint; qui possent, nolint oppido. Nec vero nonnullorum etiam querelis non aliquando interfui, qui secum valde in-

libera-

liberaliter, & certe non ut pro sua opera atque in erudiendis pueris labore æquum erat, agi a parentibus dicerent. Quos quidem ita contolari consuevi, ut præteritorum memoriam temporum repetens, haud aliter in omni ætate cum magistris actum esse a parentibus doceam; soleoque illos ad luculentum sane auctorem Juvenalem \* rejicere, qui commemoratis infans hominum sua tempestate locupletissimorum sumptibus, ira de eorundem in filorum magistros parsimonia, avaritiaque testatur:

*Hos inter sumptus sextertia Quintiliano,  
Ut multum, duo sufficient.*

Tum ad extremum non sine quodam fatidico mentis instinctu, quo non suam modo, sed consequentes etiam ætates, nostramque hanc adeo complexus est, egregius vates ac plane vates exclamat:

*Res nulla minoris*

*Constabit patri, quam filius*

Verum hæc ego, contolandi causâ necessarios meos, aliquando soleo, non exprobandi cujusquam divitis consuetudinem, commemorare. Sed profecto videtis, rationi illi atque instituto, singulos excellentes doctores singulis adolescentulis adhibendi, sive excellentium paucitatem, sive eorum ipsorum in summa etiam copia voluntatem, sive demum parentum parsimoniam adversari; ut omnino de talibus consulere, optantis magis sit, quam rem explicatam, quæque fieri in hominum vita possit, in medium adferentis.

Sed certe aliquis aliquando reperietur parens, cui & conducendi liberis suis egregii doctoris facultas suppetat, nec voluntas non suppediret. Quid? plus tum domestica, quam publica institutio valebit? Unus uni addictus plus proficiet, quam in Scholis publicis doctor multis deditus? Conringet

L

id for-

id fortasse aliquando: contigisse etiam nonnumquam possim concedere: sed neque ex iis, quæ solent perarari contingere, agendarum in vita rerum constituenda ratio est ac moderanda; neque certe id ipsum, quod aliquando sive contigisse, sive contingere posse confiteor, docentium facultati est, sed discipulorum præstantiæ, singularibusque ingeniis tribuendum. Valet, si quando id evenit, vis animi excellens quædam, non disciplina: non ratio, sed natura dominatur. Da celeres in adolescente ingenii atque acutos motus; da acre discendi studium; da sciendi incensam atque inflammatam cupiditatem: adde eo animi generosam quamdam indolem atque excelsum, quem vincis pudeat, qui ne parem quidem ferre possit, sed primas in literis petat ac concupiscat, gloriæque stimulis acerrimis concitetur: nec iste, tantis bonis ac dotibus cumulatus, haud multum sane magistri ullius institutionem requiret. Simul ac prima tradideris, ac, tamquam forti equo ac generoso, stadium curriculumque commonstraris, impiger ad metas sine duce aut rectore provolabit. Factum hoc etiam in Scholis publicis, & me discente commemini, & me docente expertus sum, ut incredibiles quidam ad omnem literaturam talium ingeniorum, atque admirabiles cursus extiterint. Quid quod de Torquato Tasso, principe illo epici apud Italos carminis alite, proditum memoriæ est \* cum a Bernardo patre, vix dum

\* In vita Torquati Tassi ab Joanne Baptista Manso conscripta, & Florentiæ anno 1724. edita cap. 12 -- ibi „ Era di que' tempi venuta novellamente in Napoli la Compagnia de' Padri del Gesù: la quale, comechè possea abbia con maraviglioso processo scorso tutto'l Cristianesimo, ed illustratolo con chiarissimi lumi di sapienza e di santità: allora tuttavia essendo picciola famigliuola, e di poco tempo prima ragunata, e non

dum quadrimum, meæ Sodalitatis hominibus, qui recens ludum Neapoli peruerant, in publicam disciplinam traditum ac commendatum, usque adeo in literis tamque celeriter profecisse, ut septennis & Latinam perbene linguam nosset, & Græcam non ignoraret, & versus & orationes scriberet, & ad coronam, quæ scripserat, recitaret?

Sed ego non exemplis singularibus abutar: non, quod aliquando, quod præter consuetudinem, quod alia fortasse de causa addidit, continuo id publicis Scholis adscribendum putem. Quod more, quod plerumque, quod rei ipsius efficientia quadam natu-

L 2 raque

„ avendo molta fama, fu ricevuta da quella Città,  
 „ madre d' opere sante e magnifiche, nella vietta, che  
 „ chiamano del Gigante: dove egli aprirono in prima  
 „ una picciola Chiesa, e le loro usate Scuole: nelle  
 „ quali cominciarono con maraviglioso frutto a seminare,  
 „ e nelle prediche, e nelle lezioni santa e profonda  
 „ dottrina. Nelle costoro Scuole adunque Torquato, men-  
 „ dando ancora il quart' anno degli anni suoi, fu dal  
 „ Padre mandato a compire gl' incominciati studj....  
 „ Il che fece il fanciullo con tanto ardor d' animo, che  
 „ non si lasciò mai cogliere dal nascente giorno nel letto:  
 „ anzi, assai sovente s' alzava di notte tempo, ed ave-  
 „ va così gran fretta di essere menato al Maestro, che  
 „ fu mestiero talora alla Madre di mandarlovi innanzi  
 „ di co' doppiieri accesi per vedere la strada. Quivi fece  
 „ egli così felici avvanzi, che in altri quattro anni ap-  
 „ parò presso che perfettamente la lingua latina, ed in  
 „ gran parte la Greca, e per sì fatto modo le regole in-  
 „ torno all' arte del favellare, e dello scrivere accom-  
 „ ciamente ed in prosa, ed in verso, che compiuto il  
 „ settimo anno dell' età sua, compose e recitò pubblica-  
 „ mente orazioni e versi con nuova maraviglia di chi  
 „ l' udiva ec.

raque fit, id in omni disputatione valeat, id omnia causæ ac controversiæ suffragetur.

Sic igitur statuo: unius doctoris in uno erudiendo impensam atque occupatam operam minus vulgo esse utilem, quam multis in eodem genere institutionis addictam. Qui tandem hoc demonstrari potest? Quia tandem plus a multis unus, quam ab uno adjuvarur. Quid ais, o bone? (dicet aliquis) quæ rerum portenta narras? In ludisne tu nobis, an te stultissima opinione ludi atque agi transversum finis? Hoc quidem ridiculum est, magistros putare a discipulis adjuvari; nec docendi munus onus esse quoddam videre, quod, quo plures docendi sunt, eo magis non minuitur, sed augetur.

Hoc mihi certe ignotum esse non potest, esse onus & sane grave ac permagnum atque æthna (ut dicitur) gravius docere. Sed ne illud quidem ignorari a me existimandum est, discipulorum multitudinem adlevetur id onus, an grave scatur. Levius certe fieri, quicumque mercede docent, eoque levius, quo plures docent confitebuntur. Verum iis quoque, qui non mercenariam operam suam locant, sed gratuitam impendunt, scitote idem videri, idemque usu venire, ut multitudine potius discipulorum, quam paucitate subleventur. Quod oratoribus concio, quod recitatoribus cœtus, quod actoribus corona, hoc est auditorum frequentia doctoribus. Contra hunc ur animi solitudine, adficiantur, concidunt; languescit indutria, frangitur actio, vox denique ipsa debilitatur. Nec modo ita fit natura: sed iudicio id etiam ac voluntate faciunt. Infani enim esse hominis arbitrantur, aut vocem validius intendere, aut actionem acrius commovere, aut vehementius animis concitari, denique non modice, non leniter, non remissa omnia aut eloqui aut agere, ubi vix sit,

qui te exaudiat; & cuius causam tantum contendere conarique debeas. Contra vero erigimur, recreamur, commovemur frequentia; causamque esse justam putamus, cur & voce & actione & animis excitemur, ubi plurimos in nos intentos, & tamquam ab ore pendentes nostro intuemur. Jam vero quantum de ardore animi, deque actionis vocisque motu ac contentione remittitur; de vi ac facultate sive docendi, sive persuadendi, sive efficiendi denique quidpiam in eorum mentibus, ad quos adhibetur oratio, fere perditur; eoque minus ad comprehendendam, tamquam aliquam flammam, vim orationis atque doctrinæ est aptus auditor, quo frigidior ad eum atque languidior, sive orator, sive doctor adcedit. Hæc scilicet nemo non ira contingere, ac necessario quidem contingere intelligit.

Quod igitur possumus studium ab eo doctore, quam alacritatem, quam vim in docendo contentionemque expectare, cui, tamquam fabulam acturo, ædium angustissima maximeque abdita zothecca totum theatrum sit, confessus spectatoresque puerulus? Exanimetur mente, actione torpescat, lingua etiam hæsitare necesse est. Nolim hunc ego valde esse doctum. Æquius tolerantiusque tantas rerum angustias diritateque feret indoctior. Quo est enim quisque eruditior, hoc luce magis frequentiaque delectatur, hoc se majore theatro dignum putat.

Verum me quidem non magis iste doctor, certe miserandus, quam docendus ille, qui timidus ac verrecundus, mærens, terramque intuens adstat, ingenuus puer movet. Videor enim illi adesse, ac tamquam præsentem intueri. O miserum, atque infelicem, & certe non ista fortuna dignum! Quid mæres, miser, quid me identidem adspicias, quid suspiras, quid ingemiscis? Misericordiam tibi ego,

doloremque meum possum impertiri; solacium ac salutem non nisi parens potest. Qui tibi animus, miser, quæ mens, quæ vita soli cum solo, tristi, severo, horrido, fortasse etiam moroso, clamoso, plangoso, inhumano? Nonne necesse est, ut aviculas videmus a gregalibus cavea disclusas, despondere, macescere, interire; ita te misellum æqualium costibus interclusum, & tamquam coelo libero prohibitum, tanta in solitudine ac tenebris brevi contabescere atque emori? Sed fac vivas: atque utinam felix diuque vivas: at non speret pater, te tanta confectum cura, tantoque mærore perditum, afflictum, exanimatum, lucis vitæque pertæsum, excitatum esse unquam animum atque erecturum, & illos, quos somniat, in literis processus celeriter esse effecturum.

Sed nos jam ex hoc privati laris, tamquam carceris, horrore ac solitudine ad publicarum Scholarum lucem ac frequentiam conferamus. Nitent heic mihi omnia, rident, gestiunt: nihil squalidum, nihil triste, nihil obsoletum. Placent mihi subselliorum illi ipsi gradus atque ordines, ut me ingredi quoddam theatrum existimem. Placent pendentes parietibus coronæ, tubæ, vexilla; tam multa illa literariæ, tamquam bellicæ, virtutis insignia; Pænorum leones illi, Romanorumque illæ aquilæ, tantaque magnarum rerum, ut in scena ipsa imitatio placet. Confessus vero ille tam frequens, tam honestus, tam splendidus tot ingenuorum; mundities, cultus, vultus illi feroculi, magnum quiddam ac præclarum minitantes, cui tandem poterunt displicere? Quanta alacritas? quanta sedulitas? quanta æmulatio? Quæ spes? qui timor? quæ cura? Ingenii enim mox est, memoriæ, doctrinæ, diligentæ faciendum tanta in celeberrate periculum. Procedit ecce publicus doctor: gymnasii limen ingreditur. Omne murmur ac strepi-

tus, si quis erat, illico conquiescit. Adfurgitur: hæc honestissima per salutatior: conditur: nihil cessatur. Jubentur prodire ex adversis partibus aliquor, tamquam pugilum, paria, & in maliam arenam ad certamen luctamque descendere, & memoriter insigniorum aliquem veterum, sive oratorum, sive poetarum locum alternis vicibus recitare. Consistunt in medio gymnasio duæ utrimque adolescentulorum acies, magnorum exercituum instar, atque animos gerentes. Datur pugnæ signum: conligitur: recitatur. Qui cursus verborum, Deus immortalis! quæ linguæ celeritas! quam nulla hæsitatio! Ut imminent adversarii! ut instant! ut urgent! ut moram adferre aliquam student! ut ostendicula injiciunt! ut deicere ac desturbare stantes omni ope vique conantur! Nec, si non potuerunt, tamen animos demittunt: æque se vicissim restituros, neque loco movendos ac pervertendos confidunt; & si non vicerint, non esse tamen vincendos sperant. Instauratur de integro certamen: atrocior pugna committitur: hos successus ferocios, illos anceps prælii eventus ex omni parte cautiores facit. Fit clamor, impetus, incurfus: petitiones propemodum gladiatoris conjiciuntur: aliquæ declinantur, non omnes. Qui enim in tanto animorum ardore ac pertinacia possit? Heic lapsus aliquis concidit. Clamorem victores tollunt, gestiunt, exsiliunt: gratulantur: supplicationem prope sibi decerni ac triumphum postulant. Silent contra victi, dolent, indignantur, illacrymant. Excedunt tamquam saucii ex acie; integri recentisque succedunt, qui hostium effrenatos imperus, atque insolentiam frangant ac comprimant. Pugnatur rursus infestissimis animis: stat aut gloriose vincere, aut honeste cadere: hæret vir viro, pes pedi: manus manu conferitur: vi geritur res. Pulveris adeo nubes,

pedum suppositione, & corporum agitatione, tolluntur. Quod ubi doctor animadvertit, rem plus nimio calere, & prope ad interneconem atque exitium adduci, furentes auctoritate sua nutuque cohibet, atque, ut Virgilianus ille Æolus, \*

... Mollitque animos & temperat iras:  
conlaudatque victoribus, præmioque ornatis, & tamquam bonus imperator, suorum virtute rebusque gestis vehementer lætatus, receptui cani jubet; sed ita, ut faciat tamen victis certaminis in alio quodam genere potestatem. Non pugna desistitur, sed locus atque arma mutantur. Scribendo, interpretandoque decertant. Pugnatur eminus nihilo segnus, quam modo pugnatum est cominus. Idem animus, eadem vis, eadem rerum fortunæque vicissitudines. Itæ post multas in acerrima contentione consumptas horas, quum se propter ardorem animi tamdiu contendisse vix sentiant, in castra præclaræ cohortes dimittuntur; domum disceditur, curantur corpora; ad aciem, ad solem, ad pulverem haudita multo post reditur: eaque toto anno perpetua sibi que subcedens exercitatio in Scholis publicis contentioque servatur.

Heic mihi quisquam audeat segnem illam privati doctoris atque intermortuam disciplinam objicere, aut verò etiam commemorare? Quisquamne privatas Scholas publicis anteponat, facilioresque in illis, quam in his doctrinarum esse cursus contendat? Quid illis magis impeditum? quid autem his commodius atque explicatius? Heic frequentia, illic solitudo; heic alacritas, illic torpor; heic contentio, illic quies; heic emulatio, illic securitas: denique in illis statuerè hoc nemo possit, plurane incommoda docentium facultatem, an discipulorum industriam remorentur; contra in his omnia sunt cum ad discipulorum utilitates, tum ad docentium

\* *Æneid.* 1. 7. 61.

centium rationes maxime adcommodata. Agitur heic semper aliquid, in literis adidue vivitur; non torpent animi, non languescunt: laude, ignominia; spe, timore; præmiis, suppliciis excitantur. Quam potest quisquam hinc exiitè docenti moram, quam discendi diuturnitatem comminisci? Nonne omnia eo potius referri ac collineare intelligimus, ut quam fieri potest celerrime brevissimeque discatur?

At doctrinæ tradendæ turba obita; nec, perinde ut uni privatus, ita multis poterit se totum publicus doctor impendere.

Quid si non unus privatus, sed plures, ut vulgo fit (nam quid in re quotidiana atque perspicua diutius inludi patiamur?) quid si, inquam, non unus privatus, sed plures sint adolescentuli adolescentuleque simul instituendæ? Nonne domestica hæc etiam turba doctrinæ tradendæ obstare exitimabitur? Singulisne se totum poterit, idque in dissimillimis doctrinæ generibus, privatus doctor impendere? Cur ea publicis Scholis a privatarum patronis obijciuntur incommoda, quibus privaræ ipsæ vacare non possunt? Quid unus iste uni addictus tam sepe jactatur, si non uni plerumque sed multis, iste nescio quis unus addicitur?

Sed esto; uni addicatur: quid tum? An minus unus non uni in Scholis publicis sufficit? Non sufficere, possum fortasse in iis publicis Scholis concedere, ubi multa multis ab eodem doctore tradantur: quas ego Scholas sive a defensione mea rejicio ac separo; sive, quoniam id non est necesse, ab aliis commodis, quæ sunt illis cum nostris communia, emolumentisque defendo. At vero in reliquis publicis plerisque Scholis, in quibus singulæ separatim disciplinæ ejusdem ordinis adolescentibus explicantur, ubi eadem discipulorum est institutio, unaque docentis

opera præceptioque confumitur, non magis doctrinæ tradendæ turba, quam exaudiendæ doctoris voci, impedimento esse potest. Non, quod multis dicas, minus singuli exaudient: neque minus singuli discant, quod multos doceas. Tota singulis auditoribus unius vox una contingit: tota discentes singulos institutio una unius informat. Quæ grammaticus doctor grammaticis; quæ rhetoricæ, humanitatis, poeticæve studiosis, aut rhetor, aut philologus, aut poeta præcipit multis, profecto non plus valerent, si uni non multis, præciperentur. Non igitur obstat in Scholis publicis turba præceptis. Num emendationi scriptorum? Id enim est alterum, quo præcipua earum doctrina continetur. Nam tertium illud, *Interpretari*, vel commode ad præcepta revocari potest, vel certe non habet præceptorum dissimilem rationem. Ut enim multis simul eadem præcipimus, sic eadem multis simul interpretamur. Quartum autem, quod nonnulli addunt, *Memoriam excolere*, a scholasticis exercitationibus sejungo. Domo enim adferuntur, quæ in Scholis memoriter pronunciantur. Una igitur scriptorum emendatio relinquatur, de qua illud brevissime dicam, non modo non impediri eam turba, sed adjuvari.

Cognoscit domi privatus doctor quæ scripsit alumnus suus, in qua quidem re, quæ ad ejus, quem instituit, eruditionem præstat, sive præstare debet, fere illa sunt, quæ sapiens poeta \* diligenti alienorum versuum censori faciendæ præcipit:

*Vir bonus & prudens versus reprehendet inertes,*

*Culpabit duros, incomptis adinet atrum*

*Transverso calamo signum, ambitiosa recides*

*Ornamenta, parum claris lucem dare coget,*

*Arguet ambiguae dictum, mutanda notabit.*

Habet

\* Horat. in Art. Poet.

Habetis a privato doctore scriptorum emendationem. Numquid reprehendo? Nihil sane. Recte enim omnia atque ordine facta video, nec uni ab uno melius consuli posse intelligo. Sed mihi dicite amabo vos. Si plures, non unus, illud idem scriptum ad privatum hunc doctorem adtulissent, atque eadem, quæ unus ille, peccassent; minusne ceteris una illa unius emendatione consuleretur? Certe non minus. Æque enim omnibus, qui eadem peccassent, eorundem peccatorum emendatio prodesset. Quid, si alia unus, alia plures illi peccassent? Nempe tum unius peccatorum reprehensio iis etiam, qui illa vitassent, valde conduceret: sive quod, quum casu illa, non ratione vitassent, æque de illis admoneri eos necesse est, ac si nequaquam vitassent: sive quod peccati etiam iudicio ac voluntate vitati reprehensio atque notatio vehementer ad ejus cum certiore scientiam, tum firmiorem memoriam diuturnioremque facit: sive denique, quod objurgatio illa aut etiam animadversio, quam in unius reprehendendis peccatis, castigandaque segnitie adhibere doctores solent, reliquos a peccando non modo in eodem, sed etiam in similibus peccandi generibus continet. Hanc igitur multiplicem utilitatem ex unius peccatorum reprehensione turba perciperet. Quid? unus ille, e cujus peccatorum reprehensione tanta doctrina in reliquos, tamque insignis utilitas redundaret; num vicissim posset ex aliorum peccatis ac reprehensione proficere? Non posset: siquidem sola ipsius a doctore, illi uno addicto, peccata corrigerentur. Esetne hoc illi utile? Immo valde quidem adversum, & discendi celeritati maxime infestum. Possumusne aliquam rationem excogitare, qua hic quoque unus hac in doctrinæ parte adjuvetur, & ne tantis utilitatibus fructuque careat? Possumus, & facili quidem

negotio possumus. Qui tandem? Reliquorum etiam, quos ad privatam hanc Scholam adcessisse, atque idem, emendandi causa, adtulisse scriptum fingimus, a privato doctore peccata proferantur, reprehendantur, castigentur. Eandem tum unus utilitatem ex multorum prolatis, reprehensis, castigatisque peccatis consequetur, quam consequi ex unius emendatione multos vidimus. Placet ita fieri? Quid ni placeat, si non alia ratione possumus hujus unius cumulari eruditioni, doctrinaeque consulere? Quid hoc? Nonne, si ita fiat, tum ad emendationem scriptorum, maxime discipulis profuturam, turba advocatur? An non animadvertitis, e domestica nos in publicas esse Scholas delapsos? Nonne publicum e privato doctorem fecimus? Nonne ab illo u. um adolecentulum, quo commodius is atque utilius institueretur, abduximus, & inter aequales in Scholis publicis collocavimus? Satisne videmur confiteri (si res una illa, cui maxime turba obstare videbatur, scriptorum nempe emendatio, discipulorum multitudine non impeditur, sed adjuvatur) reliquam publicarum Scholarum institutionem longe privatae multumque praestare, & ad celeritatem discendi esse maxime adcommodatam? Nam quid dicemus? Commodius una in domo multiplicem disciplinam disparibus alumnis impertiri, quam in Scholis publicis eandem cum paribus discipulorum ordinibus communicari? Hoc quidem cum rationi, tum rei ipsius naturae adversari perspicuum est. An promptiores ad unum modo docendum alacrioresque privatos, quam ad multos instituendos publicos doctores accedere? At solitudine concidere animum docentibus, facultatemque minui; contra excitari illum frequentia, hanc autem augeri constat. Discipulorumne studia, privata institutione commoveri, publica retardari?

At

At torpere solos, acui autem congregatis industriam, ferique eos ex aemulatione assiduaque inter se contentione solertiores vidimus. An denique praecipendi, interpretandi, emendandique rationem uni magis adcommodari? quam nemo est, qui non aequae pluribus convenire sine cujusquam detrimento intelligat; quum praesertim ipsa scriptorum emendatio in turba utilior ac multitudine evadat. Quid igitur dubitamus, publicas Scholas in invidiam ab obrectatoribus imperitisque hominibus vocatas, & atrocissimi maleticium reas injuria factas, sententia nostra absolvere, & longe ab iis diuturnitatis in docendo abesse crimen, pronunciare? Dixi.

PRO GRAMMATICIS  
ITALIAE SCHOLIS

## ORATIO

HABITA FLORENTIAE

Coram

JOSEPHO MARIA MARTELLIO

ARCHIEPISCOPO

AB EODEM LAGOMARSINO.

QUICUMQUE in liberalium disciplinarum sive professione sive studio quodam atque exercitatione versantur, Amplissime Pontifex Josepho Maria, eo esse animo, ea mente debent, neque si quid vitii in illarum tractatione animadversum a quoquam est, negligendum sibi, neque, si quid commodi excogitatum est, repudiandum putent.

tent.

tent. Tum enim demum sua doctrinis absolutè atque artibus adcedet, si in iis fuerint, & quæ vitiosa deprehenduntur, sublata, & quæ utilia ac commoda reperiuntur, inducta. Neque vero ulla re alia magis possunt ingeniosi homines atque acuti facultatem industriamque suam literatorum ordinibus adprobare, quam si inventis jam ac constitutis quibusque literis, eas ipsi aut castigando, aut ornando meliores fecerint. Hanc sibi provinciam ac laudem in plerisque disciplinis juvandis docti quidam homines exitu sane felici depoposcerunt. Unam video profecto a multis, sed haud scio an æque feliciter, esse tentatam. Nam, posteaquam in Italiæ Gymnasia ea latinæ linguæ tradendæ ratio, qua nunc etiam plerique utimur, recepta est; dici vix potest, quam multi existerint, qui quodam sive contentionis, ut nonnulli putant, sive, ut ego interpretor, publicæ utilitatis studio commoti, novas subinde de re Grammatica commentationes suas, tamquam meliores ac priscais propterea anteponendas, edere ac prædicare non destiterunt. Hos ego ( ut item ceteros, qui utilitatis novæ alicujus spem in omni re literaria studiosi ostendunt ) neque inauditos dimittendos esse, neque negligenter ac suspensis animis audiendos semper existimavi; ne, boni si quid adferrent, id superbe repudiatum, si quid incommodi obruderent, periculose admissum videretur. Videbam equidem Italos Præceptores, si paucos quosdam exceperis, a prisco illo suo instituto non recessisse; veteramque illam præceptorum rationem servandam sibi constanter ac retinendam censuisse. Movebar id quidem me non mediocriter; veruntamen eorum judiciis non tantum tribuendum putabam, ut mihi, rectene an secus id facerent, meo arbitratu quærere non liceret. Conquisivi Doctores illos recentes undique: quid in vetu-

sta Grammaticæ rei ratione reprehenderent; novi quid ipsi adferrent, num brevitate artis, num facilitate, num elegantia commendarentur, nullo partium studio, summa judicii æquitate, acerrima mentis contentione perpendi. Quid quæritis? Nova hæc omnia deprehendi, Florentini, alia falsa, alia vera illa quidem, sed aliena atque inepta, alia prope monstruosa, alia plane ridicula: denique sic apud me statui, nihil esse tanti, ut a veterum magistrorum consuetudine atque institutis in re Grammatica recederetur. Sed quum animadverterem, patronos suos novis istis doctoribus non deesse, ab iisque excogitatas tradendæ linguæ latinæ rationes in Cœlum laudibus ferri; vetustam vero, qua plerique hic in Italia uterentur, vituperatione ac prope conviciis nonnullorum peti: non satis esse arbitratus sum iudicium meum de hac tota re, quam diu diligentissimeque expendissem, mihi esse probatum, nisi illud etiam efferrem, atque, ut hominum vulgo probaretur, falsis, si quas animo imbibissent, opinionibus sublatis, efficerem. Et quamquam orationem, de re sane exili atque tenui institutam, in quasdam me dicendi angustias ac tamquam incitas compulsuram intelligebam; vixque arbitrabar esse ejus, qui nobilissimam artem profiteretur, quique superiore anno ex hoc ipso loco præstantissimas quasque facultates oratione sua complexus esset, eundem nunc ad hæc vulgaria delabi, & in una arte omnium, ut opinio est hominum, levissima despectissimaque consistere: tamen, non uno mihi dictionis meæ fructu præposito, statui exiguo hoc, tamquam campo, minus gloriose decurrere, quam patientiore minus utiliter exsultare. Nam profecto, & quæri a me hoc tempore de optima ratione tradendi eas literas, quæ reliquarum sunt, ut ait Cicero, \* *solum & fundamentum*, vehementer utile



futurum est; & recentium Grammaticorum adrogantiam paululum coerceri, eorumque qui illis exco quodam studio patrocinantur, stultitiam leviter coargui, nihil, opinor, nocebit. Illud scio, in futurum me gratiam, eamque magnam, a multis & honestis & doctis viris, qui ferre jam æquo animo non possunt, sibi tam sæpe tantisque clamoribus objici, Anglorum, Batavorum, Gallorum, Japonum, credo etiam, atque Sinenium Grammaticas institutiones Italicis esse longo intervallo aneponendas, ratione ea qua ipsi in tradendis latinæ linguæ præceptis utuntur, quasque in posterum etiam tempus uti fixum animo destinatumque habent, adolescentium ingenia non instrui, sed obrui, cursusque illorum ad reliquas disciplinas magnopere retardari. Hanc ego sive remissionis cujusdam, sive pertinaciæ notam non sinam diutius Italicis Gymnasiis hære, ostendamque oratione hæc mea nullam satis justam adferri causam, quamobrem debeant a veteri atque recepta tradendæ artis Grammaticæ ratione Itali latinæ linguæ Præceptores recedere. Ac, ne quis forte me putet privatam magis atque domesticam, quam publicam atque communem causam suscepisse, complectar oratione mea non eos modo, qui Emmanuele Alvarum, verum etiam eos, qui eruditum virum Ambrosium Viffratione, qui M. Antonium Bonciarum, qui denique aliquem horum similem in tradendis Grammaticis disciplinis ducem atque auctorem sequuntur. Æque enim omnes iisdem reprehensionibus sunt obnoxii, iisdemque obreccionibus patent. Quo plures autem innotales defendo, eo majori studio ac benevolentia oportet vos humanissimos homines mea verba excipere, meque diligenter adendere.

A que ut statim ingrediamur in causam: Ajunt reprehensores nostri primo, Italos vehementer Magistros

gistros \* errare, in eoque plurimum adolescentulorum studiis obficere, quod latinæ linguæ præcepta, non Italico, sed latino sermone edita atque conscripta tradant; similiterque eos facere, ac si quis latinum hominem, græce discere cupientem, juberet græce scriptis præceptionibus uti. Hæc est prima reprehensio; in qua novi isti doctores, præsertim exteri, cum se magnifice jactant, tum nobis prope contumeliose atque impudenter insultant. Quod ii vel non facerent, vel moderatius certe facerent, nisi Italorum plurimos sibi subfragaturos arbitrarentur: qui quidem mihi videntur Italici nominis ac suæ dignitatis oblitii, turpissime ac pene flagitiose exteris nationibus adulari: ita, quicumque novæ opinionis ex Anglia, ex Batavia, ex Gallia rumor adfertur, continuo excipiunt, amplectuntur, exosculantur; ut jam non

M

modo

\* Inter ceteros, quorum sententiam de Grammaticæ præceptis latine non tradendis, in hac Orationis parte refellimus, est Vincentius Gravina; cujus illa sunt in Orat. 1. de Instaur. studiorum.... *Atque ex his aliisque ætatis auræ scriptoribus, quæ Augusti ævo concluditur, carpenda sunt atque proferenda pueris faciliora.... Porro in traditione præceptorum id meo judicio peccatur in scholis maxime, quod quæ ad latinæ linguæ intelligentiam requiruntur, latine præbentur; atque ita obscura per obscuriora panduntur. Etenim regule ad Auctorum sensus referandos institutæ, ipsæmet indigent eadem clavi, cujus usum e reguis petimus. Quid autem absurdius, quam petere lucem a tenebris, & linguæ intelligentiam quærere a præceptis, eadem lingua nondum intellecta perscriptis? ... nihil gravius enim, nihil arumnosius, quam ediscere prorsus ignota &c. Eadem apud sexcentos, qui sibi sapere videntur, repetita invenies,*

modo vestimentorum atque epularum, sed etiam opinionum arbitria penes illas gentes esse videantur. Verum ego & exteris Scriptoribus, & Italis subscriptoribus ita respondeo: primum, latinæ linguæ non minimam partem non nisi latine posse nostris adolescentibus tradi; deinde, reliqua utilius latine, quam Italice tradi. Etenim primo, quæ possunt aliter, quam latine, aut nominum declinationes, aut verborum conjugationes proponi discantibus? Quum vero iidem in componendis, inter seque comparandis nominibus omnis generis atque verbis a Præceptoribus exercentur (quam exercitationem minus quidem latino, veruntamen recepto jam vocabulo *Concordantiarum* adpellant) quæro, num sit ullus aut esse possit vernaculæ linguæ locus? Ergo prima hæc, quæ certe non minimam Grammaticæ artis partem continent, ita necesse est latine Tironibus proponi, ut, si aliter fieret, omnis iis esset ad linguæ latinæ cognitionem aditus interclusus; sunt enim totius artis quasi vestibulum. Atque hæcenus quidem nos ita non reprehendunt; vident enim ita fieri necesse esse, neque vero se aliter facere intelligunt. Sed cur non reprehendant, siquidem sibi constare velint? An prima illa tam multa & nomina, in tot casus declinata; & verba, in tot tempora ac modos inflexa, quæ dicere puerulos jubemus, latina non sunt? annon discantibus propterea etiam ignota? Ignota autem si sunt, cur non reprehendimus, qui non nota vocabula iis, quibus notam latinam linguam esse volumus, ediscenda proponimus? Nempe ob eam rem nobis hoc datur, atque conceditur, quod ita ignota proponimus, ut tamen, adhibita continuo ignotorum interpretatione, ea ipsa, quæ ignota erant, nota faciamus. Ergo, quod prima illa elementa, discantibus ignota, interpretemur, recte possumus sine cujusquam reprehenduntur;

hæc

hensione ignota proponere: si vero reliqua ejusdem artis, ignota illa quidem, similiter discantibus interpretabimur, etiamne tamen reprehendemur? Vel nobis hoc quoque concedendum est, ut facere recte possimus; vel in primo illo castigandi corrigendique sumus. Fateor, latinæ linguæ præcepta a nobis non Italico, sed Latino sermone edita atque perscripta tradi: latinum sermonem esse discantibus ignotum intelligo. Quid tum? Annon interpretando fit notus? Non adsumus adolescentulis? non præsto sumus? non facem in illis tamquam tenebris præferimus? nonne innotescunt? nonne inlustrantur omnia? Quid igitur verat, esse latinæ linguæ præcepta latine scripta, si non latine, sed Italice Italis hominibus traduntur? Etenim, si verum quærimus, ignoto sermone scripta est hæc ars, sed noto tradita. Quod si idem in lingua aut græca aut alia quavis fiat, idem plane consequi necesse est, ut omnino nihil græcæ linguæ exemplo ac similitudine, qua isti utuntur, urgeamur.

Sed videte, quæso, Florentini, quemadmodum isti se in eosdem laqueos, quos nobis injicere vellent, per summam imprudentiam a que adeo stultitiam inducant. Edicunt uno omnes ore, latinas literas discere incipientibus latinum esse aliquem scriptorem prælegendum atque explanandum. \* At in eo tamen deligendo haudquaquam eadem est omnium sententia.

M 2

tia.

\* Audiatur idem, in eadem Oratione, Gravina: . . . . *statim*, inquit, *ut puer flexiones nominum ac verborum simul cum aliis Grammaticæ rudimentis memoriæ mandaverit, ad scriptores est adducendus; eique, ut nobis olim discantibus mos erat, præbendus in primis Ludovici Vires nitidissimus atque utilissimus exercitationum libellus.*

tia. Alii, quibus iudicium in hac quidem re meum libens adjungo, Terentium, Cæsarem, Ciceronem, aut e veteribus illis aliquem horum similem reliquis esse anteferendos existimant. Alii, quod in his intelligendis plusculum negotii adolescentulis fore arbitrantur, Ludovici Vives Conloquia, Jacobi Pontani Progymnasmata, ac, si superis placet, Æsopi fabellas, latine a nescio quo redditas, malunt. Atque has quidem fabellas, (quas ego Tirunculis minime omnium prælegi expedire censeo, non modo quod solæ barbarisq; vocibus sunt refertæ, quas si semel illa ætas didicerit, nulla deinde ætas fortasse dediscat; verum etiam quod illa narrationum inlecebra, quam quidam eam vim habere putant, ut sermo, quo eæ scriptæ sunt, altius puerorum mentibus infigatur, valere mihi potius videtur ad eorum animos ab eloquentione, quam potissimum spectare deberent, ad res ipsas, quæ narrantur, quibusque unice capiuntur atque oblectantur, avocandos) has inquam, fabellas multis verbis, idque pluribus in locis suæ Puerorum Institutionis, Lockes, scriptor Anglus, dilaudat. Si non in hac Urbe, aut si in hac Urbe, sed non apud vos verba facerem, vererem, ne aliquem offendissem, quod Locken sine honoris præfatione nominaverim. In ea enim tempora incidimus, Florentini, ut quidam ægrius ferant, hæretico homini (nihil enim gravius dicam) non bene dici, quam Catholico maledici. Sed non id agimus, ut quemquam, quamvis fortasse meritum, insectemur, aut de temporum calamitate conqueramur. Hoc tantum dicam: tunc me æquo animo de re latina præcipientes, Italarumque in ea tractanda rationem ac viam reprehendentes, Britannos homines auditorum, quam aliquid vere latinum (quod jamdiu desideramus) ab se elaboratum ad nos ex illo Oceano suo miserint. Sed unde

digressa est, revertatur Oratio. Videtis ne doctores istos, in præcipiendo latino aliquo scriptore, qui puerulis ad latinam linguam adspirantibus explanetur, convenire; in deligendo dissentire? Atque hoc ego minime miror, dissentire eos; (quot enim capita, ut est in veteri proverbio, *tot sententia*) illud miror potius, eos convenire. Nam sane mirandum est, qui Grammaticos eisdemque latinos libros e puerorum manibus unanimi consensu excusserunt, idque fecerunt ob eam causam, quod latine scripta ars a discipulis latinam linguam intelligi non posset; eorum neminem animadvertisse, ob eandem causam nullos omnino latinos scriptores ab se iisdem permitti oportere. Verum ita fit, ut, qui non ratione in reprehendendo, sed pravo aliquo studio ducuntur, ii sæpe non aliena, sed sua, vel sua non minus, quam aliena peccata reprehendant.

Quamquam ego non tam severe cum istis agam, quam ipsi nobiscum. Licet per me latinos Scriptores, modo veteres ac probos, adolescentulis prælegant. Id ego & faciendum puto, & a nostris fieri etiam video. Licet etiam, si ita volunt, grammaticis præceptionibus, vernaculo, non latino sermone scriptis, utantur. Quin ego, homo cæteroquin vehementer obcupatus, tamen ut & illis morem geram, & discipulorum suorum utilitati prospiciam, Emmanuelis Alvari (nisi forte alterius docti Grammatici malunt) latinæ institutiones faciam Italicas, & si paululum mente contendero, fortasse Etruscas, atque adeo germanissime Florentinas. Sed minime, opinor, hanc a me operam flagitabunt; quod sciant, Alvari quidem præcepta Italice jam a pluribus esse conversa, passimque vulgata; reliquorum autem ab iis potius, qui eos sequuntur, quam a me, converti oportere. Quid? quod proximo superiore anno hac ipsa

in urbe aureolus sane libellus, Etrusco sermone ab eruditissimo Viro, familiari meo, conscriptus prodit, quo grammatica præcepta continentur, valde profecto pueris elementariis profuturus? Hoc sive alio quolibet, sed, si me audient, hoc potissimum, me non modo non invito, sed auctore atque hortatore, utantur. Molestus eis certe non ero: neque umquam negabo, esse hanc etiam ad latinam linguam cognoscendam rectam & satis munitam viam. Sed nobis iidem, nostra in eos benignitate atque æquitate perspecta, benigniores se atque æquiores præbeant. Cur nos objurgant? cur reprehendunt? cur propemodum insectantur? cur latinis nostris libellis nos uti non sinunt? qui, quod latini sint, non modo adhibito interprete, non obsunt, ut ostensum est; verum etiam, ut jam ostendam, non nihil profunt.

Etenim, Florentini, omnis istorum libellorum doctrina duobus tantummodo constat ac continetur, præceptis atque exemplis. Exempla quidem sunt e probatissimis quibusque latinis Auctoribus petita: quibus ea, quæ in ipsis præceptis tradita sunt, luculentissime confirmantur. Num etiam electissima veterum latinorum loca, discipulis a magistris explicata, obesse quidquam, ac non multum prodesse potius latinitati comparandæ possumus dicere? Jam Præcepta sunt illa quidem non veterum, sed recentiorum; verumtamen eorum, qui non recentibus, sed vetustis optimorum latinorum vocabulis utuntur. Mihi quidem in Alvare nostri (de uno dicam; quod unus ex omnibus mihi fuerit ab ipsa pueritia familiarissimus: non quod existimem, non posse eadem vel certe similia de plerisque aliis Grammaticis commemorari) in Alvare, inquam, nostri præcepta intuenti; nihil fieri concinnius posse, nihil lacinius, nihil

elegantius videtur; ut, si quis ætatis illius aureæ artem grammaticam rudium captui atque intelligentiæ adcommodatam scribere voluisset, prope existimem, non multo id fuisse melius aut felicius præstiturum. Sed quia plerisque major de Horatio Tursellino (cujus multa elegantissime, & ad veterum latinorum similitudinem adcedentia, scripta videre potuerunt) quam de Emmanuele Alvaro opinio est; cujus hominis non nisi hoc opusculum, quod puerorum manibus ac magistrorum teritur, extare putant; faciendum est mihi, ut de tota hac re ipse vos doceam.

Quod opusculum, Emmanuelis Alvari nomine inscriptum, de re grammatica circumfertur, & in Gymnasis adolescentibus explicatur, id scitote rebus, quas continet, esse Alvari; ipso rerum ordine atque compositione esse Tursellini. Nam quum Alvarus grammaticam artem scribere uberius instituisset, sic ut nihil cognitione dignum præteriret, Grammaticos omnes, qui ante se fuerunt, tum veteres, tum recentiores excuteret; eorum controversias omnes, quæ sunt innumerabiles, acerrimo judicio expenderet, de eisque sententiam suam interponeret, opus quoddam excellens, atque opinione omnium doctorum absolutissimum confecit, Magistris quidem adprime utile atque probatum, sed, & mole grandius, & rebus ipsis, de quibus agebat, multis in locis subtilius, quam ut a discipulis facile & parari & gestari & tractari & intelligi posse videretur. Adcessit eo, quod ipse Lusitanus, in Lusitania scribens, nominum & verborum interpretatione suæ gentis hominibus adcommodarat; ut ob eam etiam rem minus commode in Italicis Scholis induci liber illius posset. Jussus est ab iis, qui tum Ordini nostro præerant, Tursellinus Alvari opus universum retractare, atque efficere, ut Italis etiam hominibus prodesset. Ille, quo erat

ingenio atque doctrina, omnia perpendit, recensuit, digessit, edidit. Atque inde opusculum illud, quod Alvari nomine Turfellinus ipse, qui ex majori illo ejusdem opere concinnaverat, inscriptum voluit, habemus. Quorsum hæc? Ut intelligatis, quo in pretio illorum præceptorum latinitas atque elegantia habenda sit, quæ sunt ab homine, omnium eruditorum consensu, latinissimo elegantissimoque conscripta. Verum minime necesse est, ea præcepta esse eleganter exposita; satis est, ne obsint, immo ut profing etiam discantibus, non esse barbara. At erunt fortasse, inquit, aliqua aliquo in loco barbara. *Erunt fortasse?* O rem stultitiæ plenam, atque oppido ridiculam! scriptum aliquod tamquam barbarum rejicere, non quod sint aliqua, sed quod *esse fortasse possint* barbara. Hæc vos deprehendere, hæc patefacere, hæc, veluti contestata lite, aducare oportet: defendemus. Quod, si non poterimus, nos, nos, inquam, ipsi condemnabimus, locoque sine cunctatione movebimus, atque alia, quæ vos ipsi probetis, latina atque elegantia substituemus. Ita adolescentes nostri non modo latinæ linguæ præcepta, verum etiam plurima latina vocabula, quibus præcepta ipsa continentur, una eademque opera docebuntur: quod profecto utilius est, quam si sola ipsis ac tamquam nuda præcepta traderemus.

At certe, ajunt, tamen si præcepta tradi latine est utile, tamen tam obscure ac perplexe tradit non est utile. Quid autem obscurius, quid implicatius Alvari cæterorumque Grammaticorum versiculis?

Jam hæc ad alteram reprehensionem pertinent. Prima illa de latinis præceptis evanuit. Dabo operam, ut hæc etiam de versiculis evanescat. Quid autem est, quod debeat in nostrorum Grammatico-

rum versibus tantum novis istis doctoribus displicere? In Alvaro quidem (ut de hoc potissimum loquar) ii, qui propter operis difficultatem paulo, non dicam obscuriores, sed minus perspicui videri possint; ab Alvari hoste infensissimo Scioppio multum & sæpe laudantur; qui quidem illos & *absolutissimos* & *pulcherrimos* vocat. Reliquos autem recentiores Latinos Grammaticos video aut versus illos ab Alvaro totidem verbis descripsisse, aut paululum immutatos edidisse. Mihi quidem neque tum obscuri videbantur quam puer olim ex Magistri ore in ludo interpretantis, pendebam, meaque aures Apollineo illo cantu mirifice mulceri sentiebam. Sed utrumne vos non animadvertitis, an vero dissimulatis, iisdem versibus explicationem suam singulis soluta, ac plana oratione subjici? Una est atque eadem versusum & solutæ illius orationis sententia. Cui versus displicebunt, is enarrationes illas, omissis versibus, nobis non repugnantibus, amplectatur. Neque enim ad præcepta cognoscenda necessarii sunt versus, sed ad illam jam cognita memoriter, ac diu retinenda valde quidem adcommodati. Habet enim nescio quid Poetarum ille numerus, ac modus ad memoriam vehementer, firmum ac diuturnum. Mihi certe aliquando de re aliqua grammatica inter loquendum scribendumve dubitanti, Alvarianos olim didicisse versus fuit sæpe utile. Fuisset etiam illi Alvari inimico Scioppio non incommodum, si non modo Alvari versus laudare, id quod fuit judicii, verum etiam ediscere, id quod erat voluntatis animum induxisset. Numquam certe, ut alia multa omittam, illa scripsisset; *Cum tempus futurum significatur, apud Plautum & Ciceronem usurpatum*, abhinc *ad verbum reperitur*; si Alvari versiculos illos neque obscuros neque implicatos meminisset.

*Gaudet* abhinc *verbis exacti temporis*. Ergo.  
*Natur* abhinc *annos, vel centum dicimus annis*.  
 Verum tu, qui inutiles latinis nostros versiculos esse  
 arbitraris; putasne tuos Italicos adolescentulis mul-  
 tum prodesse? Vereor, ne si quos ex Claudii Lan-  
 cellotti *Nova Methodo* (quam Porius regalis Gram-  
 maticam vulgus appellat) etrusce ab homine Nea-  
 politano reddita, Italisque hominibus plus, quam est  
 satis, commendata, vereor, inquam, ne si quos ex ea  
 versiculos exempli causa attulero, videar & severi-  
 tatis vestrae, Florentini, & meae gravitatis oblitus:  
 sunt enim plerique vere ut dicam, perridiculi, ut ne-  
 que recitari, neque audiri sine risu possint. Adcedit  
 etiam, quod sunt ita hianter, ita hiulce, ita confra-  
 gose, ita aspere compositi, ut valde mihi timendum  
 sit, ne non possim eos memoriter, atque expedite,  
 sine lapsu, aut certe haesitatione aliqua pronunciare.  
 Experiri tamen, sed ita, si ante (quemadmodum Poe-  
 tae Musas, ubi in aliquem operis sui insignem, atque  
 ad explicandum difficilem locum devenerunt, invo-  
 care solent) sic ego vestram opem mihi, in loco ad  
 dicendum profecto difficili, vestrumque auxilium  
 implorom, atque ut mihi, si quando offendero, aut  
 haesitaro, vestra humanitate adsitis, obtestor.

## REGOLA DE' NOMI IN NS ED RS,

*Tis NS RS induce.*

*Dis glans, nefrens, e lens brama.*

*Che pur libripens, frons ama.*  
*E gl' in S) che cor produce.*

Quae verborum ambages? quae aenigmata? quae  
 rerum

rerum portentosa sunt isthaec? Dædalo haec aliquo,  
 Oedipo, Etrusco Lucumone est opus *Tis NS RS in-  
 duce*, &c. Sibi ista quid volunt? Italica sunt haec?  
 an latina? an utraque? an neutra? Equidem videbar  
 mihi Italicam linguam satis commode intelligere; la-  
 tinam non admodum incommode: nunc a me video  
 utramque plane ignorari. Hos vos versiculos vestros, no-  
 vi doctores, extollitis? latinos nostros deprimitis? Hos  
 ad discendum faciles, illos difficiles; hos ad intelligen-  
 dum perspicuos, illos obscuros ducitis? Magnam  
 quidem habeo, Florentini, puerilis illius ætatis meae  
 moderatoribus gratiam, si ve potius Deo immortalis,  
 qui me discere primas illas litteras ante voluerit, quam  
 in Italia nova haec *methodus* vulgaretur. Nam qui la-  
 tinam linguam, non latinæ modo, verum etiam ita-  
 licæ plane radis, latinis Alvari præceptionibus non  
 plus biennio didicerim; is, si in novam hanc metho-  
 dum incidissem, adhuc in *Tis NS RS* hærerem; neque  
 fortasse unquam e Scyllæo illo tamquam scopulo emer-  
 sissem. Atqui scitote; reliquos item illius artis versi-  
 culos, quibus de nominum declinatione, ac de cæteris  
 rebus præcipitur, eadem plerosque, nonnullos etiam  
 majore sententiæ obscuritate laborare: id quod, si vel  
 memoriæ meae tantum fiderem, vel satietatis vestrae  
 rationem non haberem, planum eorum recitatione  
 facere possem.

Sed omittamus de versiculis dicere; quorum fuit  
 levis sane reprehensio. Illa multo gravissima, qua non  
 jam tradendæ artis ratio, verum ars ipsa petitur, ac,  
 nisi succurrimus, universa labefactatur. Quod eos  
 conari, qui sunt ipsi otiosi, nec quidquam vel pos-  
 sunt, vel audent de suo in rem grammaticam adfer-  
 re, non est sane mirandum: illud vero quis non jure  
 miretur, eorum nonnullos, qui hanc ipsam artem  
 scriptis voluminibus complexi sunt, sibi ipsos quo-  
 dam

dammodo obstrepere, de eaque libere fidenterque detrahere, atque ipsam, quantum in illis est, omnino convellere? Cujus equidem rei quum causam quærerem, hanc satis probabilem inveniebam, quod, quum suis illis artibus nullum fore inter celebriores satis honestum locum sperarent, invidia quadam commoti, bellum promiscue omnibus indixerunt, nec se jacere, modo adversarii sui non possent stare, recusarunt. De Gaspare quidem Scioppio illud memoriæ proditum est, primo cum omni officiorum, pollicitationumque genere a nostræ Societatis hominibus contendisse, ut suus, quem de arte grammatica conscripserat, commentarius in nostrâ Gymnasia reciperetur: deinde, ubi petitionem suam repudiari intellexit, omnemque ambitioni suæ obstructum aditum sensit, tum eum non in Alvari modo, sed in omnes omnium, atque adeo suas grammaticas præceptiones invehi, atque baccari, tamquam furiosum; cœpisse; *Mercuriumque illum bilinguam*, \* quem ex Hispanis in Italiam nuper adtulerat, omnibus obrulisse, atque ubique vulgasse: quo uno commentariolo adhibito, universam latini-

\* *Prodit hic liber primum Salmanticæ An. 1611. hoc titulo - Janua linguarum, seu modus maxime ad commodatus, quo patet aditus ad omnes linguas intelligendas . . . . Industria Patrum Hibernorum Soc. JESU, qui in Collegio, ejusdem Nationis, Salmanticæ degunt, in lucem edita. Auctor ejus præcipuus fuit Guillelmus Bateus; de quo vide Philippum Alegambem in Bibliotheca Script. Soc. JESU. Hunc librum Scioppius in Italiam adtulit, & edendum Mediolani An. 1628. curavit, inscriptum - Mercurius bilinguis; Cujus Hispanicam interpretationem Alexander Tassonus Virginus Cæsarinus, Guillelmus Moons Italicam fecerunt. De qua tota re vide libellum Hostilii*

latinam linguam, duobus, opinor, mensibus, sine ulla præceptorum ope, perfecte comprehendi posse jactabat. Invisa est semper ab omnibus, qui quidem communi sensu non carerent, hominis adrogantia: eorumque complures, qui post eum de re grammatica disputarunt, tamen esset, æque atque ille, præceptis, tamquam minus necessariis, infensi: tamen non tam pernicia Mercurio illi talaria esse judicant, ut posset quemquam tam brevi tempore ad linguæ latinæ perfectam cognitionem ducere. Sed tamen iidem quiddam in eandem rem, non minus fortasse invidendum, adtulerunt. Legistis enim profecto apud istos, \* idque a multis, qui non ineruditi purantur, dici atque jactari in vulgus audistis: *Latinam linguam non in Grammaticorum libellis, sed in vet. m. Latinorum scriptis esse discendam: in quorum lætione longè utilis, quam in præceptorum cognitione tempus collocari* (id quod Gallicæ Hispanicæque lingue exemplo ajunt luculenter ostendi) *satis esse præcipua quædam rei grammaticæ tamquam capita discendi doceri, reliqua per se ipsos in latinis libris cognituros: nunc, quod præceptis*

*Contalgeni, editum Florentiæ apud Franciscum Honaprium An. 1672. De Scioppii autem ambitione videantur Alberti de Albertis Vindiciæ cap. 14. §. 7. num. 119.*

\* De præceptis Grammaticis, præter ceteros, ita etiam sentit in eadem oratione Gravina: *Quibus ad discendum absuntur tempus, longe utilis atque jucundius in vocabulorum explanatione, ac bonorum Auctorum interpretatione traducendum. Etenim præceptis magis ad scribendum, quam ad intelligendum utimur: stultum est autem irritare præceptis ignorantem adhuc vocabulorum sensum & usum, qui legendis tantum adripitur explanationisque scriptoribus.*

tantum tribuitur, in Grammaticis scholis pueros consensere, neque tamen satis unquam Latinos evadere. Utinam vero, Florentini, non dicam consenserent, sed saltem adolefcerent; neque tam immaturi, ut vulgo fit, ad Rhetores, ad Philosophos, ad Jurisperitos mitterentur. Tum illi, mihi credite, & latiniore evaderent, & cumulatus reliquis deinceps facultatibus satisfacerent. Nunc præpropere ista sive Parentum, sive liberorum festinatione, crudi quodammodo nobis atque acerbi traduntur; qui, ut alia possimus, maturitatem certe illam, quam ipsi adferre ad nostra Gymnasia debuissent, conferre non possumus; neque cum propterea ex iis, ut ita dicam, succum, quem maxime oporteret, exprimere; subacti ingenii, maturique iudicii juvene, barbaro denique, non cincto, nobis, qui severiores artes ac graviores disciplinas profitemur, est opus. Sinite ergo, finite, hæc tamquam poma, quantum est necesse, in cellis grammaticis maturefcere; matura deinde ad nos, ingenti literarum utilitate bonoque, mittite. Quod si tamen properatis, neque ullam, licet necessariam, ferre moram potestis, quodvis vobis compendium potius, quam hoc ab istis doctoribus indicatum, vestræ isti festinationi adcommodatum fore putat. Nihil enim scitote esse longius, quam ista latinorum legendorum via, præceptis omissis, incedere. Nam, si nihil præcepta ad discendi celeritatem adjuverent, profecto latini ipsi illi vereres, qui eloquentiæ laudem expetebant, in scriptoribus suis dumtaxat legendis constitissent: quos tamen ad publicas Scholas itasse scimus, ut *rationem latine loquendi*, quam, auctore F. Quintiliano, \* *Methodicè* adpellabant, a Grammaticis docerentur. Ergo illi, qui latinæ linguæ scientiam ac cog-

\* *Quintil. lib. 1. Institut. c. 15.*

gnitionem cum nutricularum læte quodammodo fugebant, negligenda sibi tamen præcepta non parabant; nos alienam linguam, ac jamdii intermortuam una lectione librorum celerius, quam præceptorum conjunctione percipi posse arbitrabimur? Certe Doctores Italos videmus ita grammatica præcepta in Scholis tradere, ut non minorem curam in explanandis latinis scriptoribus impendant; quorum etiam scripta ad verbum ediscere memoriterque pronunciare discipulos jubent. Quin ipsa præcepta, plerumque brevissima, plurimis latinorum veterum locis adlatis confirmant: ut, ne tum quidem, quam aliquis præcipiunt, puerorum oculi ab illis exemplaribus avertantur. Hæc tamen tam assidua, tam diligens latinorum lectio cum latinæ linguæ præceptionibus conjuncta, latinitatis cognoscendæ spatia haud ita multum contrahit. Quid si præcepta silerentur? quid tum tandem futurum putatis? Nam Gallicæ quidem linguæ atque Hispanicæ (quo isti nituntur exemplo) dispar est ratio. Vocibus illæ ab Italica multum differunt, non multum sane Syntaxi. Itaque cognosci voces est ferme satis: cognoscuntur autem non præcipiendo, sed legendo. At vero latina plurimum ab Italica & vocibus distat & Syntaxi. Syntaxis autem non in unius aut alterius, sed in omnium latinorum scriptis est longe lateque diffusa; ut propterea necesse sit, vel omnia illorum scripta ab uno quoque legi, ex iisque Syntaxin ipsam erui atque depromi, (quod & magni ingenii, & accerrimi iudicii, & immensi laboris, & longissimi temporis est) vel præcepta (quibus universa Syntaxeos ratio brevissime traditur atque explicatur) latinæ linguæ studiose cognoscenda. Utrum igitur malumus, incredibile temporis operæque compendio, ad latinæ linguæ cognitionem pueros pervenire; an improbo sane

labo-



labore per omnes latinitatis Auctores diu, & aut nullo, aut certe exiguo cum fructu vagari? Inest profecto, Florentini, quiddam in hac arte grammatica Geographiæ simillimum; cujus quidem discendæ duplex est via; altera longior ac difficilior, loca ipsa terrarum per se obire, eaque diligenter notare: altera brevior atque expeditior, eadem ab aliis obita ac notata loca in tabulis librisque descripta cognoscere. Atque illud quidem impigri multi solertesque viri fecerunt; qui, orbis regionibus peragratis, locorum descriptionem literis prodiderunt; quorum sic nos itineribus laboribusque adjuvamus, ut jam Geographiam discere sedentes possimus. Immensa (quod non ignoratis) sunt artis grammaticæ spatia; *cujus quidem, quemadmodum M. Tullius ait, \* pene infinita vis est atque materia.* Hunc tamquam orbem grammaticum, ejusque dispersas regiones atque oras plurimi industrii atque ingeniosi homines perlustrarunt; veteresque historicos, Oratores, Poetas, omnes denique latinos scriptores (ne Græcis quidem prætermisissis, ex quibus latini sunt) adeundos sibi ac penitus cognoscendos existimarunt. Ex hac diuturna ac laboris molestiæque plenissima peregrinatione tandem ad nos veluti postliminio redeuntibus, tum universam rei rationem, tum singulas partes, omnia denique seitu dignissima ab se in longis illis itineribus animadvertenda, otiosis hominibus ac domis sedis descripserunt, quasdamque, si ita loqui fas est, Grammatico-graphicas tabulas, a se diligenter confectas ediderunt. Has cognoscere quantum laboris, quam non diuturni temporis est, si cum illa omnium scriptorum peruestigatione comparetur? Has igitur nos adolescentulis cognoscendas, ediscendasque proponimus. Isti peregrinationum Auctores respuunt, adspernantur, rejiciunt

\* Cic. lib. 1. de Orat. c. 19.

jiciunt; jubentque, vix pedibus ingredientiæ puerulos, vix vestigiis suis insistentes, impatientes laboris, cunctantes, timidos, rerum locorum atque hominum ignaros, ingenii viribus infirmos, tamquam e patrio littore novos quosdam Jafones, Vespuccios, Columbus solvere, perque omnes Grammatici Orbis oras ac littora circumferri, & diu multumque jactari: unde quum se olim domum receperint, non aut Velus quoddam aureum reportent, aut novas a se detectas regiones nuncient, sed eam grammaticam doctrinam, notam jamdiu ac pervulgatam, quam domi parare facile ac brevi potuissent, ad nos fenēs jam facti, referant. Sed utri magis discitibus ac literis consulamus; istine, qui unam latinorum lectionem probant, an nos, qui præcepta cum lectione conjungenda esse existimamus, non est, opinor, obscurum. Hæc habui, Florentini, quæ pro Italicis scholis, & pro Italis grammaticæ artis Doctoribus contra novos obrectatores disputarem. Utinam, qui omnium Italarum gratiam hoc mihi patrocinio comparaturum sperarim, non alicujus in me odium atque offensionem concitem. Erunt enim fortasse, qui ubi hanc a me pro veteribus atque domesticis institutis contentionem susceperam fuisse rescierint, totam hoc consilium meum improbent atque reprehendant: homines nimirum ex eorum numero, quibus vetera omnia præ recentibus, domestica ac nostra præ alienis, ac peregrinis sordent. Quod si addiderit, equidem quod non omnibus satisfacere potuerim, moleste feram: sed illa me tamen re consolabor ac recreabo, quod sim usus vobis, cum attentis orationi meæ, tum, quod conjicere atque intelligere ex significatione vestra potui, sententiæ æquissimis. Tibi certe, Pontifex amplissime ac sapientissime, rem a me gratam profecto atque jucundam factam esse confido, qui

192 PRO GRAMM. ITALIÆ SCHOLIS.

ea linguæ latinæ præcepta, tibi olim puero in hoc ipso Lycæo tradita, ejusmodi fuisse ostenderit, ut meliora non sint postea a recentioribus magistris inventa; ac propterea tibi ad illa summa, quæ in omni doctrinarum genere consequutus es, prope-ranti, nullam fuisse moram grammaticis illis nostro-rum hominum institutionibus adlatam.

Dixi,



